MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80229-21

AUTHOR:

DOERING, FREDRICH

TITLE:

DE LEGUM PLATONICARUM...

PLACE:

LEIPZIG

DATE:

1907

Master Negative #

91-80229-21

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Doering, Friedrich, 1883-
De Legum Platonicarum compositione. Dissertatio inavgvralis qvam ... scripsit Fridericus Doering ... Lipsiae, Noske, 1907.
87 p. $22\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Leipzig, 1907.

Volume of pamphlets

21138

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.11.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

DE LEGUM PLATONICARUM COMPOSITIONE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

FRIDERICUS DOERING
LUSATUS

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMVII

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

BETHE **LIPSIVS**

LIPSIAE D. XXVII. M. IVN. A. MCMVII.

PROCANCELLARIO
DES COVDRES

OTTONI IMMISCH

GISSENSI

Quid adhuc viri docti effecerint.

Platonis cum omnes fere libri difficultatibus abundant, tum duodecim illi, quibus *Νόμοι* inscriptum est. Multas de his viri docti, postquam proximi saeculi initio diligenter singulos Platonis dialogos tractare coeperunt, et diversas sententias protulerunt. Breviter hoc loco, quibus potissimum modis difficultates illas, quae patent non solum cum omnes Legum libri cum reliquis Platonis operibus sed etiam cum singulae Legum partes inter se comparantur, conati sint expedire exponam.

Primus, quantum vidi, Boeckh in hac re versatus est; qui[1]) concedit habere hunc librum nonnulla, quibus discrepet a ceteris Platonis dialogis neque tamen, quae tanti sint momenti, ut propter ea abiudicari Platoni possit. Ceterum Boeckh contendit (p. 73) repetitam recensionem, quam alias in scriptis suis exercuisse Platonem animadverterit Wolf Proleg. ad Hom. p. 153, non esse adhibitam huic libro; plura enim vestigia deprehendi posse moventia suspicionem nec absolutum esse hoc opus nec expolitum nec ultimam ei a scriptore manum admotam. Accedere, quod Diogenes Laertius III, 37 et Suidas s. v. *Φιλόσοφος* Philippum Opuntium, Platonis discipulum[2]) Leges edidisse memoriae tradiderint.

Nec tamen adquieverunt viri docti in Boeckhii iudicio, immo F. Ast in libro suo quem conscripsit de Platonis vita et scriptis decemque annis post Boeckhii illum librum iuris publici fecit, p. 384—392 Leges spurias esse contendit, quod Plato in Politia 425 E, 427 A permulta legibus sanciri noluerit, quae in Legibus sanciantur, quod de aliis quoque rebus alia in Politia alia in Legibus proferantur, quod denique totus Legum habitus abhorreat a Platonis scriptis genuinis.

---

[1]) In Platonis qui vulgo fertur Minoem eiusdemque libros priores de Legibus. Hal. Sax. 1806, p. 64.

[2]) cf. Diog. La. III, 46.

Astium refellere conati sunt cum alii[1]) tum C. Dilthey libro, cui inscripsit: Platonicorum librorum de Legibus examen, quo quonam iure Platoni vindicari possint adpareat. Gottingae 1820. Nec tamen effecit, ut de Platonica Legum origine dubitari iam non potuerit.

Etenim Ed. Zeller (Platonische Studien 1839) Astii sententiam defendit: Postquam dialogi argumentum, habitum, sermonem rationemque, quae intercederet inter Leges reliquosque Platonis libros, diligenter perscrutatus est, Leges Platoni abiudicavit et discipulo alicui Platonis attribuit. Sed perpauci Zellero assensi sunt.[2]) Neque enim intellegebatur, quo modo potuisset fieri, ut Aristoteles Politic. II, 6 Leges Platoni attribueret ferretque copiosius de eis iudicium, si spurium erat opus. Quin etiam Zeller ipse in eo, quod de Graecorum philosophia scripsit, opere (II[1] p. 316 sqq., II 1[4] p. 976 sqq.) Platoni Leges attribuere iam non dubitavit.

Videbatur autem alia via patefacta esse, quam ingresso liceret eas, quas Zeller detexerat, difficultates expedire. Etenim Michelet,[3]) cui Zeller immerito Leges Platoni prorsus abiudicasse attamen multas res abhorrere a Platonis ingenio videretur demonstravisse, Suidae Diogenisque illos, quos supra commemoravimus, locos ita interpretatus est, ut contenderet Philippum Legum libros non ita edidisse, ut a Platone essent relicti, sed multa mutasse vel de suo addidisse variaque fragmenta in unum redegisse.

Quae obiter et in transcursu decreverat Michelet, ea J. Bruns diligenter persecutus est duobus libris: 1. De Legum Platonicarum compositione quaest. sel., diss. Bonn. 1877. 2. Platos Gesetze vor und nach ihrer Herausgabe durch Philippos von Opus, Weimar 1880.[4]) Michelet p. 855 negaverat diiudicari posse, quantum Platoni, quantum Philippo deberetur; Bruns, quae editori attribuenda essent, secernere conatus est. Statuit autem in exitu posterioris libri, inde a p. 220, haec: Platonem quondam — sc. postquam Politiam composuisset — de re publica et legibus librum conscribere coepisse, quo easdem

---

[1]) cf. C. F. Hermannum: Geschichte und System der platon. Philos. 1839 p. 704 adn. 711.

[2]) cf. Susemihlium: Die genetische Entwicklung der platonischen Philosophie II, 2 (1860) p. 562 sqq, 691 sq.

[3]) Jahrbücher für wissenschaftl. Kritik, Berol. 1839, inde a p. 854.

[4]) Hunc posteriorem inspicias librum, ubicumque Brunsii invenies nomen sine libri titulo.

fere sententias atque in Politia protulisset. Deinde vero Platonem sententia sua mutata illum librum seposuisse aliumque de eadem re composuisse librum, qui magis a Politia discrepuisset. Editorem autem parvi ingenii (p. 135) prioris illius de re publica libri fragmenta invenisse et posteriori operi inseruisse. Eiusmodi fragmenta Brunsio videntur esse liber I; V, 734 E; XII, 960 B — 969 D. Videntur ei enim hi loci propius quam reliquum Legum opus ad Politiam accedere, qua idealem rem publicam delineaverit Plato. Haud pauca Brunsio videtur Philippus de suo addidisse: eum non modo, quo minus manifesta esset contaminatio, in genuino opere haud raro particularum a se insertarum fecisse mentionem (p. 173 sq.) sed etiam suas sententias addidisse Platonicis (p. 135 sq.). Concessit Bruns (p. 138) eiusmodi quaestiones tractanti facile accidere, ut in singulis erret nodosque quaerat in scirpo.

Post Brunsium Legum compositionem tractavit Th. Bergk.[1]) Brunsium secutus Bergk quoque censet editorem Leges contaminasse. Magni momenti ei videntur esse ea, quae leguntur 739 A: *τὸ δ' ἔστιν ὀρθότατον εἰπεῖν μὲν τὴν ἀρίστην πολιτείαν καὶ δευτέραν καὶ τρίτην κτλ* et paullo post (739 E): *ἣν δὲ νῦν ἡμεῖς ἐπικεχειρήκαμεν, εἴη τε ἂν γενομένη πως ἀθανασίας ἐγγύτατα καὶ ἡ μία* (*ἡ μία* codd., *πρώτης* Schanz) *δευτέρως· τρίτην δὲ μετὰ ταῦτα, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, διαπερανούμεθα.* Quibus ex verbis apparere videtur Bergkio (p. 48 sqq.) Platonem praeter optimam illam, quam in Politia delineaverit, rem publicam in uno eodemque libro duas rei publicae formas depingere voluisse, quarum altera quam proxime accederet ad optimam rem publicam, altera ad illius aetatis civitates Graecas. Utramque operis partem perfectam fuisse, priorem autem, qua secundi ordinis res publica tractata fuerit, perisse exceptis quibusdam fragmentis, quae a Philippo alteri parti inserta sint. De suo Philippum nihil fere addidisse, nisi quae opus fuerint ad prioris partis frustula cum reliquo contextu coniungenda (p. 46 sq.).

Mirum opus conscripsit Plato, si recte statuit Bergk Platonem duo diversa rei publicae genera eodem opere delineasse; bis enim ita de unaquaque re erat dicendum.[2]) Sed ex illo Legum loco id, quod Bergk conclusit, concludi non potest. Nam verbis *τρίτην δὲ*

---

[1]) Fünf Abhandlungen zur Geschichte der griechischen Philosophie und Astronomie 1883 p. 43—116.

[2]) cf. Kriegium: Die Überarbeitung der platon. Gesetze durch Philipp von Opus, Diss. Heidelberg 1896, p. 24.

μετὰ ταῦτα διαπερανούμεθα (739 E) eadem atque 745 E sqq. sententia profertur: fortasse ne eam quidem, quae Legibus describatur secundumque teneat locum, rem publicam ita, ut sermone delineetur, in ea, quae condenda legibusque instruenda fingitur[1]) colonia effici posse. Itaque tertium locum tenebit ea res publica, quae re vera efficietur.[2]) Sed etiamsi 739 E tertiae civitatis descriptio promittatur, secundus locus attribuitur ei rei publicae, quae ipsis Legibus tractatur, nisi forte Bergkio (p. 52) assentiendum est, qui illum locum habuerit in numero fragmentorum ab editore in eo, quem nunc tenent, loco collocatorum. Hoc absurdum est, ita ut nemo fere cum Bergkio fecerit.[3])

Aliter atque Bergk de Philippo Legum editore iudicavit E. Praetorius dissertatione, cui inscripsit: De legibus Platonicis a Philippo Opuntio retractatis. Bonnae 1884. Persequitur Praetorius sententiam antea a W. Onckenio (Die Staatslehre des Aristoteles I, 1870 p. 194) prolatam: Platonis Leges tum, cum Aristoteles de eis iudicium tulisset, aliam atque nunc habuisse speciem. Comparatis inter se Legibus et Politicorum libri II. capite VI. Praetorius haec statuit (p. 45): Leges ab ipso Platone ad finem fuisse perductas. Deinde, postquam Aristoteles de eis, nondum iuris publici factis, iudicium tulisset, Philippum magistri opus retractasse atque in retractando Aristotelis doctrinam et iudicia de Legum institutis in usum suum convertisse (p. 41). Concedit ipse Praetorius vix intellegi, qua causa adductus sit Philippus, ut demutaret opus fere perfectum (p. 46).

Omnino vero stare non possunt ea, quae Praetorius protulit. Etenim nimis pressit verba Aristotelis, quem saepius Platonis sententias non ita diligenter referre monuit Zeller II, 1⁴ p. 980 adn. 1, exemplis probavit Krieg l. c. Hic suo iure censuit (p. 7 sq.) Aristotelicum Legum exemplar non fuisse diversum ab eis, quae aetatem tulissent, Legibus. Ceterum Krieg Brunsio assentitur, nisi quod plura etiam ei quam Brunsio Philippus de suo videtur addidisse (p. 14).

---

[1]) cf. Leg. III, 702 B. sqq.

[2]) cf. Susemihlium l. c. p. 643 sq., C. Ritterum: Platos Gesetze, Kommentar zum griechischen Text, Lips. 1896, p. 142 sqq., 402 sq.

[3]) cf. Zellerum II, 1⁴ p. 980 adn. 2; Th. Gomperzium: Platonische Aufsätze III (annal. acad. Vindob. vol. 145, 1902), p. 1 sqq.

Quae cum ita essent, res videbatur ita diiudicata esse, ut ad Brunsianam fere sententiam esset revertendum. Itaque Zeller quoque (II, 1⁴ p. 978 sqq.) in universum secutus est Brunsium. Atqui haud pauca contra Brunsium facere videbantur.

Iam Steinhart[1]) Philippum in Legibus edendis multa mutasse negaverat, quod editorem, si quidquam mutasset, sermonem expolitum fuisse verisimile esset, sermonem autem non esse politum manifestum esset. Quod deinde hoc in primis editori crimini dederat Bruns, quod de eisdem rebus alia aliis locis proferuntur et omnino inter se discrepant singulae partes, C. Ritter l. c. p. 64 et Gomperz l. c. p. 23 sqq. iure ac merito contenderunt ex ipsis discrepantiis apparere Philippum Leges ita edidisse, ut eas invenisset a Platone relictas. Facilius enim discrepantiam attribui posse Platoni ipsi, qui librum imperfectum reliquisset, quam editori. Hunc enim tam stultum fuisse, quam Bruns (p. 135 sq.) et Bergk (p. 60 sqq.) censuissent, suo iure negavit Gomperz, cum (p. 3 sq.) monuerit Platonem ipsum aut eius propinquos eiusmodi homini non mandaturos fuisse edendum tale opus, quoniam in academia alii haud dubie fuissent, qui melius editoris munere possent fungi. Quod denique Bruns (p. 100 sqq.), Praetorius (p. 33), Krieg (p. 14) Philippum quasdam Legum partes de suo addidisse concluserant ex eo, quod illae partes simillimae essent Epinomidis, quam a quibusdam Philippo attributam esse Diogenes l. c. et Suidas l. c. essent auctores: veteres Epinomidem ea de causa Platoni abiudicaverunt, quod Plato ne Leges quidem potuisset expolire, nedum alium etiam postea scripsisset librum.[2]) Quid mirum, si Epinomidem attribuerunt ei, qui Leges edidisse ferebatur? Sunt autem hac quoque aetate, qui Platonicam eam habeant, veluti H. Raeder: Platons philosoph. Entwicklung 1905 p. 413 sqq.

Iam videamus, quae sit vis et auctoritas veterum illorum testimoniorum, quibus Philippi obtrectatores, ut ita dicam, nisi sunt. Diogenis verba sunt haec (III, 37): *ἔνιοί τέ φασιν, ὅτι Φίλιππος ὁ Ὀπούντιος τοὺς Νόμους αὐτοῦ μετέγραψεν ὄντας ἐν κηρῷ. τούτου δὲ καὶ τὴν Ἐπινομίδα φασὶν εἶναι.* Hoc loco nihil docemur nisi hoc:

---

[1]) Platons sämtliche Werke, übersetzt von Hieron. Müller, mit Einleitungen begleitet von K. Steinhart VII, 1 p. 101; cf. Susemihlium l. c. p. 659.

[2]) cf. Proclum in Proleg. philos. Platon. cap. 25 (in Platonis editione Hermanniana vol. VI. p. 218): *πῶς ὁ τοὺς Νόμους μὴ εὐπορήσας διορθώσασθαι διὰ τὸ μὴ ἔχειν χρόνον ζωῆς, τὸ Ἐπινόμιον μετὰ τούτους ἂν εἶχεν γράψαι;*

Philippum Leges transscripsisse antea sive — si propriam suam vim habent verba *ὄντας ἐν κηρῷ* — in tabulis ceratis, sive — si translative sunt dicta[1]) — in schedis servatas. Praetorium, qui Leges retractatas esse concluserat ex vocabulo *μετέγραψεν* (p. 42 sqq.), castigavit Zeller II, 1[4] p. 979 adn. 2. Retractationis ne Suidas quidem facit mentionem, cum dicat: *Φιλόσοφος.*[2]) *ὃς τοὺς Πλάτωνος Νόμους διεῖλεν εἰς βιβλία ιβʹ, τὸ γὰρ ιγʹ αὐτὸς προσθεῖναι λέγεται.* Atqui aliud testimonium protulit Bergk p. 44; etenim in Proleg. philos. Platon. cap. 24. (p. 218 Herm.) leguntur haec: *ἐσχάτους δὲ τοὺς Νόμους φασὶ γεγράφθαι, διότι ἀδιορθώτους αὐτοὺς κατέλιπεν καὶ συγκεχυμένους, μὴ εὐπορήσας χρόνου διὰ τὴν τελευτὴν πρὸς τὸ συνθεῖναι αὐτούς. εἰ δὲ καὶ νῦν δοκοῦσι συντετάχθαι κατὰ τὸ δέον, οὐκ αὐτοῦ τοῦ Πλάτωνος συνθέντος ἀλλά τινος Φιλίππου Ὀπουντίου.* His verbis Bergk summam habet fidem. Immerito; neque enim eius auctorem rerum academicarum ita fuisse peritum apparet ex illo *τινὸς*, quod praefixit Philippi nomini. Itaque ex his verbis nihil concluserim nisi hoc: veterem aliquem grammaticum eam, quae a Diogene memoriae tradita sit, narrationem de suo auxisse,[3]) quod idem multis saeculis post Michelet l. c. fecit. Itaque, quod ad nostram rem pertineat, unum testimoniis illis probatur hoc: Philippum Platonis Leges transscripsisse sc. et iuris publici fecisse.[4]) Apparet fieri non potuisse, ut liber nondum expolitus ederetur, nisi Plato, ne eum perpoliret, morte erat prohibitus. Hanc sententiam etiamsi neque apud Diogenem neque apud Suidam expressis verbis affirmatur, tamen iure ac merito omnes fere viri docti probaverunt. Nuper eam defendit Gomperz[5]) contra Blassium,[6]) qui Platone vivo Philippum Leges non politas iuris publici fecisse contenderat.

---

[1]) cf. Susemihlium p. 561 adn. 796, Zellerum p. 979 adn. 1.

[2]) Voci *φιλόσοφος* praefigenda esse verba *Φίλιππος Ὀπούντιος* Boeckh l. c. p. 73 recte statuisse mihi videtur; cf. Susemihlium p. 560 adn. 794.

[3]) cf. Praetorium p. 44.

[4]) Th. Birt (Das antike Buchwesen p. 478 adn.) hanc quoque philosophorum vel grammaticorum esse coniecturam censet. Quos ex eo, quod Epinomidem addidisse dicatur Philippus, etiam hoc conclusisse: Leges ipsas a Philippo esse editas. Plane contraria vero ratione veteres usos esse ex Prolegomenorum illo loco apparet, quo, quid Proclus hac de re iudicaverit, docemur.

[5]) Platonische Aufsätze IV p. 4 sqq. (annal. acad. Vindob. vol. 152, 1905).

[6]) Apophoreton Graecae Halensis, Berol. 1903, p. 62; cf. Raederum l. c. p. 396.

Philippum, cum Leges ederet, multa mutasse Susemihl p. 693 vel ea de causa negavit, quod vix potuerit fieri, ut ab Isocrate in Philippo, quam orationem anno 346 esse compositam docuerit Clinton in Fastis Hellen., commemorarentur Leges, si priusquam ederentur, retractatae essent. Isocrates enim l. c. V., quicumque efficere velit quidquam, eum non quemlibet sed certum quendam virum magna potestate praeditum debere alloqui contendit et de eis, quae apud omnes habeantur, orationibus haec dicit: *ὁμοίως οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων ἄκυροι τυγχάνουσιν ὄντες τοῖς νόμοις καὶ ταῖς πολιτείαις ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμέναις.* Haec verba praecipue ad Platonis Politiam et Leges spectare negari vix potest.[1]) Itaque, cum paullo post Platonis mortem Leges notas fuisse statuendum sit, retractatas eas esse non est verisimile. Quamquam concedo hoc argumentum non esse gravissimum, praesertim cum, quo tempore mortuus sit Plato, non satis constet.

Quae cum ita sint, Philippum Leges retractasse certo quodam testimonio probari non potest. Multa vero contra illam sententiam faciunt. Accedit, quod Brunsium nimis angusta norma usum nonnunquam nodos quaesivisse in scirpo docuerunt Ritter, Gomperz (Plat. Aufs. III), J. Tiemann: Kritische Analyse von Buch I und II der platonischen Gesetze (Progr. Osnabrück 1888). Quo factum est, ut hac quoque aetate nonnulli, veluti Ritter, Gomperz, Raeder (l. c. p. 397 sq.), adquieverint in eo, quod Boeckh olim animadverterat: repetitam recensionem Legibus non esse adhibitam.

Sed restant difficultates quaedam, quae ita expediri non possint. Nam Bruns etiam tales discrepantias detexit, quales ne in impolito quidem libro ferri posse videantur. Ritter et Gomperz de eis modo Brunsii sententiis accuratius iudicium tulerunt, quae facile poterant refelli. Multa vero, quae recte observaverat Bruns, aut silentio aut nimis celeriter illi praeterierunt,[2]) neque — id quod Bruns speraverat (p. 223) — sine ira et studio de sagacissimo hoc philologo iudicaverunt.[3]) Quid mirum, si recentissimis quoque temporibus

---

[1]) cf. Gomperzium: Griechische Denker II p. 340, 574. Nuper hac de re egit B. de Hagen: Num simultas intercesserit Isocrati cum Platone, diss. Jen. 1906, p. 60 sqq.

[2]) cf. Gerckium in annal. Bursian. vol. 124, 1905 p. 527: . . . die Widersprüche nicht beseitigt durch Gomperz' Einwände und C. Ritters alles vertuschenden Kommentar.

[3]) cf. Ritterum p. 349 sqq.

fuerunt, qui Brunsium, quamvis multa eius sententiae obstarent, in universum sequerentur, veluti Windelband in eo, quem de Platone conscripsit libro?[1])

Itaque nunc idem debet dici, quod iam Bruns in dissert p. 5 dixit: tot tantorumque virorum studiis huius quaestionis non sublatas difficultates videri sed auctas. Videamus autem, quo modo eas, quas Bruns aliique detexerunt nec non eas, quae viros doctos adhuc fugerunt, difficultates expediamus, postquam editorem quidquam mutasse vel de suo addidisse negavimus.

[1]) Frommanns Klassiker der Philosophie, vol. IX, ed. 4 1905 p. 62 sq.

Caput I.

I. De libri IV. cap. IV.

Initium capiendum est a libri IV. capite IV., quod mirum in modum ab eis, qui de Legum compositione et retractatione adhuc egerunt, fere neglectum est. Hoc loco, postquam 709 C multum valere legislatorem peritum expositum est, quaeritur, qua occasione data eiusmodi legislator facillime fungi possit munere suo. Hospes enim ille Atheniensis, qui per hunc dialogum primas tenet partes — id quod in prioribus Platonis dialogis plerumque fecit Socrates —, certum quendam legislatorem adesse fingit, quem 709 D sq. hoc modo alloquitur: *Φέρε δή, νομοθέτα, . . . τί σοι καὶ πῶς πόλιν ἔχουσαν δῶμεν, ὃ λαβὼν ἕξεις ὥστ' ἐκ τῶν λοιπῶν αὐτὸς τὴν πόλιν ἱκανῶς διοικῆσαι;* Legislatorem autem respondentem Atheniensis facit haec: *τυραννουμένην μοι δότε τὴν πόλιν.* Copiosius deinde explicatur, qualem tyrannum optet legislator, saepiusque facillime atque celerrime ita optimam fieri rem publicam affirmatur (— 712 A).

Atqui in tertii libri exitu (702 B sqq.) Clinias Cretensis — qui secundas tenet partes — coloniae cuidam condendae sese novemque alios a Cnossiis esse praefectos narravit; quam coloniam Clinias et eius socii veluti ab initio condentes oratione constituere incipiunt 702 D. Sane satis mirum est paullo post quam urbis nondum conditae res publica institui sit coepta, novae civitatis institutione neglecta exponi, quo modo urbium res publicae atque leges dudum iam constitutae facillime m u t e n t u r (709 D—712 A).[1])

Sed plura etiam habet hoc caput, quae offendant. De tyrannide enim in Legibus duas inveniri opiniones non bene concinentes iam Praetorius (p. 21 sq.) animadvertit: 710 E tyrannidem

[1]) cf. 710 D: *μεταβαλεῖν*, 711 A: *μεταβολῆς*, 711 B: *μεταβαλεῖν*, 711 C: *μεταβάλλειν.*

in optimam civitatem facillime posse transformari Platonem contendere. Contra 712 E (cl. 712 C) et 832 B sq. tyrannidem *πολιτείας* nomine haberi indignam; neque vero probabile esse Platonem in eodem opere tyrannidem reiecisse omnino et pro fundamento optimae civitatis habuisse.

Hoc recte exposuit Praetorius neque vero executus est omnia. Etenim magna patet discrepantia inter ea, quae IV, IV, et ea, quae aliis locis de tyrannorum ipsorum indole ac natura proferuntur. Tyrannus enim IV, IV Platoni ante oculos obversatur, qui multis virtutibus praeditus (709 E) suo ipsius exemplo cives ad bonos mores incitet (711 B sq.): *Οὐδὲν δεῖ πόνων οὐδέ τινος παμπόλλου χρόνου τῷ τυράννῳ μεταβαλεῖν βουληθέντι πόλεως ἤθη, πορεύεσθαι δὲ αὐτὸν δεῖ πρῶτον ταύτῃ, ὅπῃπερ ἂν ἐθελήσῃ, ἐάν τε πρὸς ἀρετῆς ἐπιτηδεύματα προτρέπεσθαι τοὺς πολίτας, ἐάν τε ἐπὶ τοὐναντίον, αὐτὸν πρῶτον πάντα ὑπογράφοντα τῷ πράττειν, τὰ μὲν ἐπαινοῦντα καὶ τιμῶντα, τὰ δ' αὖ πρὸς ψόγον ἄγοντα καὶ τὸν μὴ πειθόμενον ἀτιμάζοντα καθ' ἑκάστας τῶν πράξεων.* Aliis vero locis superbe tyrannos civibus imperare per se constare videtur Platoni, veluti paullo post IV, IV de malo medico dicuntur haec (720 C): *καθάπερ τύραννος αὐθαδῶς οἴχεται.* 859 A legitur: *οὕτω διανοώμεθα περὶ νόμων δεῖν γραφῆς γίγνεσθαι ταῖς πόλεσιν, ἐν πατρός τε καὶ μητρὸς σχήμασι φιλούντων τε καὶ νοῦν ἐχόντων φαίνεσθαι τὰ γεγραμμένα, ἢ κατὰ τύραννον καὶ δεσπότην, τάξαντα καὶ ἀπειλήσαντα, γράψαντα ἐν τοίχοις ἀπηλλάχθαι;*[1] Sane IV, IV, 711 D docemur talem, qualis IV, IV depingatur, tyrannum non ita saepe inveniri, ita ut fortasse dicas illos locos, quibus male dicatur tyrannis, ad tales tyrannos spectare, quales plerique sint. IV, IV talem cogitari tyrannum, qualis raro invenitur. Attamen satis mirum est Platonem Leg. IV, IV summam spem in tyrannorum imperio posuisse, aliis vero eiusdem operis locis eisque propinquis illi capiti tyrannorum rationem imperandi expressis verbis opposuisse verae imperandi rationi.

Iam vero locos quosdam contemplemur, qui magis etiam cum libri IV. capite IV. pugnant.

713 C: *ἀνθρωπεία φύσις οὐδεμία ἱκανὴ τὰ ἀνθρώπινα διοικοῦσα αὐτοκράτωρ πάντα μὴ οὐχ ὕβρεώς τε καὶ ἀδικίας μεστοῦσθαι.*

875 B sq.: *ἐὰν ἄρα . . . τις . . . ἀνυπεύθυνός τε καὶ αὐτοκράτωρ ἄρξῃ πόλεως, . . . ἐπὶ πλεονεξίαν καὶ ἰδιοπραγίαν ἡ θνητὴ φύσις αὐτὸν*

---

1) cf. 722 E: *τυραννικὸν ἐπίταγμα.*

ὁρμήσει ἀεί, φεύγουσα μὲν ἀλόγως τὴν λύπην, διώκουσα δὲ τὴν ἡδονήν, τοῦ δὲ δικαιοτέρου τε καὶ ἀμείνονος ἐπίπροσθεν ἄμφω τούτω προστήσεται, καὶ σκότος ἀπεργαζομένη ἐν αὑτῇ πάντων κακῶν ἐμπλήσει πρὸς τὸ τέλος αὑτήν τε καὶ τὴν πόλιν ὅλην.

691 C sq.: *Ἐάν τις μείζονα διδῷ τοῖς ἐλάττοσι παριεὶς τὸ μέτριον, πλοίοις τε ἱστία καὶ σώμασιν τροφὴν καὶ ψυχαῖς ἀρχάς, ἀνατρέπεταί που πάντα καὶ ἐξυβρίζοντα τὰ μὲν εἰς νόσους θεῖ, τὰ δὲ εἰς ἔκγονον ὕβρεως ἀδικίαν. τί οὖν δή ποτε λέγομεν; ἆρά γε τὸ τοιόνδε, ὡς οὐκ ἔστ', ὦ φίλοι ἄνδρες, θνητῆς ψυχῆς φύσις, ἥτις ποτὲ δυνήσεται τὴν μεγίστην ἐν ἀνθρώποις ἀρχὴν φέρειν νέα καὶ ἀνυπεύθυνος, ὥστε μὴ τῆς μεγίστης νόσου ἀνοίας πληρωθεῖσα αὐτῆς τὴν διάνοιαν μῖσος ἔχειν πρὸς τῶν ἐγγύτατα φίλων;*

His locis docemur n u l l a m esse humanam naturam, quae summa potestate praedita saluti sit civibus (713 C). Contra IV, IV, 711 A (cl. 710 D sq.) ipsa hac de causa, quod summa potestate praeditus sit tyrannus, tyrannis Platoni maxime idonea videtur esse, ex qua optima nascatur res publica. Quid, quod IV, IV i u v e n e m[1] praecipue tyrannum optat Plato, contra 691 C expressis verbis ab iuvene tyranno nihil sperandum esse exponit? Quomodo deinde potest fieri, ut iuvenis tyrannus et legislator adiuvent alter alterum — id quod speratur IV, IV, 710 E —, si fieri non potest, quin amicorum in odium incurrat iuvenis tyrannus (691 D)? Itaque, quod raro quidem fieri (711 D), attamen fieri docemur IV, IV, id fieri posse nunquam reliquis illis locis Plato contendit.[2] Accedit, ut illis locis, quibus tyranni reiciuntur, libri IV. capitis IV. ratio habeatur nulla. Praecipue vero hoc offendit, quod 713 C verbis *καθάπερ ἡμεῖς διεληλύθαμεν* mentio fit eiusdem de summa potestate sententiae 691 C sq. prolatae, prorsus negleguntur ea, quae paullo ante (IV, IV) de eadem sunt prolata, quasi inde a 691 C usque ad 713 C nusquam alia atque 691 C sq. prolata esset de hac re sententia.

Quae cum ita sint, suspicari licet libri IV. caput IV. aliquo modo in eum, quem nunc tenet, locum irrepsisse, non una cum eis, quae antecedunt et quae sequuntur, esse conscriptum. Ita rem se habere apparebit, ubi, quo modo IV, IV coniunctum sit cum eis, quae sequuntur, demonstraverimus.

---

1) 709 E: *τύραννος δ' ἔστω νέος.*

2) cf. Hornium: Platonstudien II, 1904 p. 404 sq.

711 E sq. Atheniensis disputationis de tyrannis institutae finem facit, cum dicit: De universa potentia hoc esse statuendum: quotienscumque aliquo in homine cum prudentia et temperantia coniuncta fuerit potentia summa, rei publicae optimae optimarumque legum nasci originem, aliter oriri eas nunquam posse. Deinde pergit: *ταῦτα μὲν οὖν καθαπερεὶ μῦθός τις λεχθεὶς κεχρησμῳδήσθω,*[1]) *καὶ ἐπιδεδείχθω τῇ μὲν χαλεπὸν ὂν τὸ πόλιν εὔνομον γίγνεσθαι, τῇ δ', εἴπερ γένοιτο, ὃ λέγομεν, πάντων τάχιστόν τε καὶ ῥᾷστον μακρῷ.* Interrogat Clinias: *Πῶς*; Respondet Atheniensis: *Πειρώμεθα προσαρμόττοντες τῇ πόλει σοι καθάπερ παῖδες πρεσβῦται πλάττειν τῷ λόγῳ τοὺς νόμους.* Offendit vel Cliniae illud *πῶς*; neque enim spectare potest eo, quod antea Atheniensis exposuit optimam civitatem non oriri, nisi cum potentia et prudentia temperantiaque in unum convenerint. Dubitaret ita Clinias, an non vera sint ea, quae Atheniensis exposuerit, hic vero dubitationem illam omnino neglegeret, cum pergat: *πειρώμεθα κτλ.* Neque vero hic Atheniensis is est, qui sociorum dubitationes ita neglegat. Stallbaum illud *πῶς* alio modo interpretatus est: Interrogare Cliniam, quo modo istud dixerit Atheniensis: iam absolutam esse harum rerum disputationem. Sed suo iure Susemihl in annal. Fleckeis. vol. 83 (1861), p. 137 contendit Stallbaumii sententiam stare non posse, quoniam „absolutam esse harum rerum disputationem“ expressis verbis antea non sit dictum. Susemihl illud *πῶς* mutari vult in *καλῶς*, post proximum autem vocabulum *πειρώμεθα* inserendam esse particulam *δή*. Concedo unam difficultatem ita sublatam esse. Verum hoc loco maiores inveniuntur difficultates, quam quae expediri possint una voce mutata.

Quod enim 712 B Atheniensis quaerit: *Ἀλλὰ τίνα δή ποτε πολιτείαν ἔχομεν ἐν νῷ τῇ πόλει προστάττειν*;: vel hoc offendit, quod his verbis ad rei publicae formam, quasi haec res nondum tractata sit, transitur, quanquam paucis verbis ante (IV, IV) idem ille Atheniensis uberius exposuit optimam rem publicam non oriri nisi cum summa potentia coniuncta sit cum prudentia (711 E sq.), id quod facillime fiat in tyrannide (711 A), ita ut IV, IV tyrannis videatur omnino haberi pro optimae rei publicae fundamento. Minime vero exspectaveris Cliniam 712 C eas, quae respiciendae

[1]) Recte ad hunc locum adnotavit Stallbaum: Haec verba eo pertinere, quod de re disputatum sit, quae non tam certa veri cognitione et scientia quam animi quadam coniectura ac divinatione nitatur.

sint, rei publicae formas enumerantem expressis verbis reiecturum esse tyrannidem. Attamen, postquam democratiam, oligarchiam, aristocratiam, regium imperium enumeravit, addit: *οὐ γὰρ δὴ τυραννίδα γέ που λέγοις ἄν, ὥς γ' ἡμεῖς ἂν οἰηθεῖμεν.* Quonam iure Clinias suspicari potest Atheniensem, qui paullo ante (709 E) *τυραννουμένην μοι δότε τὴν πόλιν* dixerit, tyrannidem omnino reiecturum esse? Si vero tyrannidem Atheniensi in ea, quam condituri sint, colonia non videri instituendam esse nihilo secius censet Clinias, causa ei est afferenda, cur id censeat; nec tamen ulla affertur causa. Nam etiamsi Clinias ipse tyrannorum auxilio diffidit (711 A), tamen minime potuit suspicari Atheniensem eandem habere sententiam. Itaque cum ea, quae de tyrannide tyrannisque IV, IV proferuntur, cum reliquo opere pugnent, illud caput eiciendum est. Statuemus autem partis interpolatae finem esse aut ante aut post illud *πῶς* (712 A),[1]) quod aut cum eis, quae antecedunt, aut cum eis, quae sequuntur, non posse coniungi demonstravimus.

Iam videamus, quo loco incipiat interpolata pars. Exponitur inde a 708 B duos esse modos coloniae condendae: colonos aut unius gentis atque ex una regione profectos esse omnes, aut ex variis gentibus regionibusque in unum confluxisse. Utrumque modum et opportunitates et difficultates affere ei, qui coloniam condat novisque instruat legibus. Nam cum eiusdem gentis sint omnes, multarum rerum communione eos iam esse inter se coniunctos, neque vero facile eos pati leges et rei publicae instituta a domesticis diversa. Contra eos, qui ex variis gentibus confluxerint, novis legibus magis velle parere; ut vero consentiant, longi temporis et perdifficile esse. Sed nihilominus, licet obiecta sint impedimenta quaedam, legum lationem et civitatum constitutiones res esse longe maxime idoneas ad perficiendam virtutem humanam. Ad haec Clinias respondet 708 D: *Εἰκός. ὅπῃ δ' αὖ βλέπων τοῦτ' εἴρηκας, φράζ' ἔτι σαφέστερον.* Atheniensis autem pergit: videri se etiam molestum aliquid[2]) dicturum. Dicturum enim se fuisse nullum unquam hominem quidquam sancire, sed fortunas et casus varios varie accidentes, veluti bella, inopiam, morbos, sancire hominibus omnia (709 A). Haec sententiarum coniunctio ab omni ratione logica abhorret. Immerito enim Atheniensis verbis *ἔοικα* . . .

[1]) cf. huius diss. p. 18.

[2]) Recte ita verba *τι καὶ φαῦλον* interpretatus est Ritter p. 106 sq.

ἐρεῖν (708 E) contendit ex eis, quae 708 B—D protulerit, concludi posse, quae dicturus sit 709 A: nihil omnino sanciri ab hominibus, sed quibusdam rebus, quae a legislatore non possint provideri, irritam omnino fieri legislatoris artem. Supra (708 B—D) non agebatur nisi de impedimentis, quae facile possent provideri, quae deinde difficiliorem non irritam redderent legislatoris artem,[1]) quae denique non exsisterent nisi in colonia condenda. Accedit, quod Atheniensis, postquam impedimenta illa, quae coloniae condendae obstant, enumeravit, statim addidit (708 D): *ἀλλ' ὄντως ἐστὶν νομοθεσία καὶ πόλεων οἰκισμοὶ πάντων τελεώτατον πρὸς ἀρετὴν ἀνδρῶν.* Concedes ex his verbis minime posse concludi Atheniensem de hominum legibus omnino desperaturum esse. Hanc difficultatem sustulisse videtur Badham, qui in epistula de Platonis Legibus ad Thompsonum,[2]) p. XXVI scribendum esse censuerit (708 D): *ἀλλ' ὄντως ἐστὶ νομοθεσία καὶ πόλεων οἰκισμοὶ πάντων τελεωτάτων πρὸς ἀρετὴν ἀνδρῶν;* Dubitare Atheniensem, utrum legum ferendarum et civitatis condendae scientia re vera ad viros summae virtutis pertineat, quoniam, ut paullo infra ostenturus sit, magna sit et fere sola in rebus humanis fortunae casusque dominatio. Sed alia ita orta est difficultas. Atheniensis enim se haberet ipse in numero eorum, qui summam virtutem habent, hominum, id quod mihi quidem ineptum videtur esse. Itaque, sicut in exitu capitis, ita hoc quoque loco adquiescendum mihi videtur in ea, quam codices exhibent, scriptura. Qua servata quod a ratione logica abhorret oratio, id argumento est hoc loco incipere partem interpolatam. Quodsi, quidquid legitur inde a 708 D: *Εἰκός· ὅπῃ δ' αὖ βλέπων κτλ.* usque ad 712 A — *πάντων τάχιστόν τε καὶ ῥᾷστον μακρῷ* eiecimus, facile coniunguntur ea, quae sequuntur, cum eis, quae antecedunt: 708 D statuit Atheniensis legum lationem et civitatis constitutionem maxime esse idoneas ad perficiendam hominum virtutem. Mirum id videtur Cliniae, ita ut interroget (712 A): *πῶς;* Atheniensis autem, cum paucis verbis Cliniae interroganti respondere nequeat, socios adhortatur, ut coloniae fingant leges, scilicet quod ita clarius id fiat, quod Cliniae mirum sit visum.

Iam quaerendum est, quid iudicandum sit de interpolatae illius partis origine: utrum Platonem ipsum alio quodam tempore eam conscripsisse censeamus necne.

---

[1]) cf.: *Οὐ τοίνυν εὔκολος ὁμοίως* . . . (708 B).

[2]) Hanc epistulam invenies in Convivii editione Badhamiana, Lond. 1866.

Recordemur in quinto Legum libro (739 E) Platoni eam, quae Legibus delineetur, rem publicam secundum locum tenere videri; primum locum tenet idealis res publica, quae in Politia descripta est. Atqui Leg. IV, IV (710 B, D sqq., 712 A) de optima re publica instituenda agitur. Apparet de ideali illa Politiae re publica, non de ea, quae Legibus describitur, re publica agi nostro loco. Hoc fugisse adhuc viros doctos satis mirum est.[1])

Notissimum est Platonem in Politia 473 A sqq., cum quaerat, quo modo optima res publica antea descripta quam maxime possit ad verum perduci, summam spem in principibus ponere. Ad verbum fere congruere quosdam nostri capitis locos cum Politia iam Zeller in Stud. Plat. p. 103 demonstravit[2]): Pol. 473 D Plato exponit, ut optima efficiatur res publica, philosophiam et potentiam civilem in unum convenire necesse esse. Eadem sententia profertur Leg. 712 A: *ὅταν εἰς ταὐτὸν τῷ φρονεῖν τε καὶ σωφρονεῖν ἡ μεγίστη δύναμις ἐν ἀνθρώπῳ ξυμπέσῃ κτλ.*

Et Pol. 499 B sq. et Leg. 711 D de divino quodam amore agitur, quem in principibus oriri necesse sit, ut optima nascatur res publica. Sicut Pol. 499 C sq. ita Leg. 711 D difficile quidem atque raro philosophiam et summam potentiam in unum convenire docemur.

Quin etiam expressis verbis Leg. IV, IV Politiae mentio fit verbis (711 A): *Καὶ μὴν εἴρηταί γ' ἡμῖν οὐχ ἅπαξ ἀλλ' οἶμαι πολλάκις.*

In Politia igitur et Leg. IV, IV ex summae potestatis et verae philosophiae coniunctione optimam rem publicam naturam esse Plato sperat, et contendit Pol. 499 C non esse, quod duae illae res coniungi non possint. Contra illis Legum locis, quos p. 14 sq. exscripsi, id ipsum, quod Pol. 499 C probari nullo modo posse ei videbatur, probavit ipse, cum statuerit nullam esse naturam humanam, quae summam potestatem nacta non repleatur iniustitia. Quo factum est, ut in Legibus de optima re publica in hominum terris[3]) efficienda omnino desperaverit Plato (739 C sqq.) eamque, quae secundum teneat locum, descripserit rem publicam.[4])

---

[1]) cf. Susemihlium, p. 621, Kriegium, p. 6 sq., Pfleidererum: Socrates und Plato, 1896, p. 734 sqq.

[2]) cf. Siebeckium in annal. Fleckeis. vol. 131 (1885), p. 230.

[3]) cf. 739 D: *εἴτε που θεοὶ ἢ παῖδες θεῶν αὐτὴν* (sc. optimam rem publicam) *οἰκοῦσι* . . .

[4]) cf. Poehlmannum: Gesch. des antiken Kommunismus u. Sozialismus, I, p. 482 sqq.

Quae cum ita sint, IV, IV priore quodam tempore videtur esse scriptum, quo Plato, sicut tum cum Politiae illas partes composuit, persuasum habebat philosophiam et potentiam civilem in unum convenire posse.

Iam vero relinquamus hunc locum; vertamus nos ad totius operis initium.

II. De libri I. parte priore.

Atheniensis quidam, qui una cum Clinia Cretensi et Megillo Lacedaemonio ex oppido Cnosso ad Iovis quoddam templum profectus est, sociis persuadet, ut de re publica et de legibus disputent: 625 A sq. Initium disputandi Atheniensis a Doriensium conviviis et gymnasiis capit, quae quo consilio instituta sint, quaerit 625 C. Copiose Clinias exponit Cretensium leges institutionesque publicas ad bellum solum spectare omnes (626 A), et ab Atheniense interrogatus 626 C affirmat uniuscuiusque civitatis bene constitutae finem esse reliquas civitates bello vincere. Assentitur ei Megillus. Atheniensis autem demonstrat externis bellis maioris momenti esse seditiones intestinas (628 A sq.); sed omnino, quam fieri possit maxime, evitanda esse et bella et seditiones (628 C). Itaque, quid adhuc effecerit, exponit his verbis (628 D): *οὔτ' ἄν ποτε πολιτικὸς γένοιτο ὀρθός* (codd.: *ὀρθῶς*), *πρὸς τὰ ἔξωθεν πολεμικὰ ἀποβλέπων μόνον καὶ πρῶτον, οὔτ' ἂν νομοθέτης ἀκριβής, εἰ μὴ χάριν εἰρήνης τὰ πολέμου νομοθετοῖ μᾶλλον ἢ τῶν πολεμικῶν ἕνεκα τὰ τῆς εἰρήνης.* Clinias facere non potest (628 E), quin probet hanc sententiam; deinde addit haec: *θαυμάζω γε μήν, εἰ τά τε παρ' ἡμῖν νόμιμα καὶ ἔτι τὰ περὶ Λακεδαίμονα μὴ πᾶσαν τὴν σπουδὴν τούτων ἕνεκα πεποίηται.* Nondum vero Atheniensi videtur diiudicari posse, utrum Lacedaemoniorum Cretensiumque leges secundum illam normam institutae sint necne (629 A); monet autem socios, ut secum in hanc rem inquirant.

Ac primum quidem fundamentum quaestionis iacitur. Etenim Atheniensis exponit, quoniam duo belli sint genera, externum et intestinum, intestinum autem gravius sit externo (629 C sq.), pluris aestimandos esse eos, qui seditionibus exortis bonos se praestiterint viros, quam eos, qui adversus hostes rem bene gesserint (629 E sq.). Illis vero universa virtute opus esse, i. e. iustitia, temperantia, prudentia, fortitudine (630 A sq.). Itaque apparere quemlibet legislatorem (630 C) quamvis exigui pretii ad maximam potissimum virtutem in legibus ferendis spectaturum esse, non ad unam bellicam virtutem, quae non sit nisi extrema illius pars. Clinias quidem timet (630 D), ut probari ita possint leges suae. Atheniensis vero simulat persuasum sibi esse neque Lycurgum neque Minoem omnia belli maxime ratione habita instituisse; iubet autem socios (630 E) *κατ' εἴδη ζητεῖν αὐτῶν* (sc. Lycurgi et Minois) *τοὺς νόμους οὐ δ' ἅπερ οἱ τῶν νῦν εἴδη προτιθέμενοι ζητοῦσιν· οὗ γὰρ ἂν ἕκαστος ἐν χρείᾳ γίγνηται, τοῦτο ζητεῖ νῦν παραθέμενος, ὁ μὲν τὰ περὶ τῶν κλήρων καὶ ἐπικλήρων, ὁ δὲ τῆς αἰκίας πέρι, ἄλλοι δὲ ἄλλ' ἄττα μυρία τοιαῦτα.* Videtur igitur Atheniensi quoque secundum species quasdam inquirendum esse in leges, neque vero secundum singula legum scriptarum capita.[1] Itaque alias proponit species, cum a virtute proficiscendum esse contendat 631 A et 631 B sqq., quo modo Cliniae dividendum fuerit, copiosius exponat: Demonstrandum Cliniae fuisse Cretensium leges eis, qui ipsis utuntur, omnia bona suppeditare; duplicis autem generis esse bona, alia humana, alia divina. Humana bona esse sanitatem, pulchritudinem, corporis robur, divitias; divinorum vero bonorum ducem esse prudentiam, praeterea in eorum numero habendos esse temperatum animi habitum, iustitiam, fortitudinem. Divina autem haec bona omnia humanis anteposita esse natura eodemque modo legislatori ea esse ponenda (*καὶ δὴ καὶ τῷ νομοθέτῃ τακτέον οὕτως* 631 D).

Iam apparet, secundum quasnam species in Doriensium leges inquiri voluerit Plato 630 E, cum iusserit *κατ' εἴδη ζητεῖν αὐτῶν τοὺς νόμους*: secundum bonorum illorum divinorum et humanorum species inquirendum ei videtur.

Pergit autem Atheniensis 631 D: *μετὰ δὲ ταῦτα τὰς ἄλλας προστάξεις τοῖς πολίταις*[2]) *εἰς ταῦτα βλεπούσας αὐτοῖς εἶναι διακελευστέον, τούτων δὲ τὰ μὲν ἀνθρώπινα εἰς τὰ θεῖα, τὰ δὲ θεῖα εἰς τὸν ἡγεμόνα νοῦν ξύμπαντα βλέπειν.* Non ambigua sunt haec verba; cuinam *διακελευστέον* sit, apparet ex eis, quae antecedunt; quod enim ad *τακτέον*, quod antea legitur, additum est *τῷ νομοθέτῃ*, idem ad *διακελευστέον* supplendum est. Praecipiendum autem hoc est legislatori: quidquid civibus — sc. a magistratibus — imperetur, spectare

---

[1]) Recte ita hunc locum intellexit Ritter, p. 3.

[2]) Dativos hoc modo ex substantivis pendentes in Legibus saepe invenis; cf. Ritterum p. 3.

id debere ad ea, quae supra enumerata sint bona. Itaque per se non offendit hic locus.[1])

Atqui 631 D—632 C (*περί τε γάμους . . .*) singulae res, quae legislatori legibus disponendae sint, ita enumerantur, ut antegressa sententia (*μετὰ δὲ ταῦτα κτλ.*) illustrari videatur allatis singularum rerum exemplis. Ita vero vocabulum *προστάξεις* ferri non posse recte observavit Badham l. c. p. IV. Priore enim loco, si *προστάξεις* legitur, legislator, postquam civibus et divina et humana illa bona suppeditavit, quidquid praeterea civibus praecipiendum est, permittit aliis; nam recte Badham statuit diversos esse, qui *προστάττουσι*, ab iis, qui *διακελεύονται*. Contra in eis, quae sequuntur, legislator reliqua quoque praecepta civibus ipse dat; quidquid enim ad hominum vitam pertinet, id legibus esse disponendum docemur 631 D—632 C. Quae cum ita sint, Badham mutandum esse censuit: *μετὰ δὲ ταῦτα τὰς ἄλλας πράξεις τοῖς πολίταις εἰς ταὐτὰ βλεπούσας τούτοις εἶναι διακελευστέον*. Quae enim sequerentur, nuptiae, liberorum institutiones, adolescentium senumque colloquia et studia, ea *πράξεις* esse omnia. Neque vero cum Badhamio faciendum est; difficultas enim inest in eis, quae sequuntur, non in vocabulo *προστάξεις*.

Ac primum quidem ea, quae inde a 631 D (*περί τε γάμους . . .*) leguntur, cum illa inquirendi in leges ratione, quae 630 E exposita est, pugnant. Nam cum singulis illis, quae ad legislationem pertinent, rebus enumeratis Atheniensis pergat (632 C): *οὕτως, ὦ ξένοι, ἔγωγε ἤθελον ἂν ὑμᾶς καὶ ἔτι νῦν βούλομαι διεξελθεῖν, πῶς ἐν τοῖς τοῦ Διὸς λεγομένοις νόμοις τοῖς τε τοῦ Πυθίου Ἀπόλλωνος, οὓς Μίνως τε καὶ Λυκοῦργος ἐθέτην, ἔνεστίν τε πάντα ταῦτα, καὶ ὅπῃ τάξιν τινὰ εἰληφότα διάδηλά ἐστιν τῷ περὶ νόμων ἐμπείρῳ τέχνῃ εἴτε καί τισιν ἔθεσιν, τοῖς δὲ ἄλλοις ἡμῖν οὐδαμῶς ἐστι καταφανῆ*, fieri non potest, quin verba *οὕτως* et *πάντα ταῦτα* ad ea referantur, quae proxime antecedunt. Itaque in Doriensium leges inquirendum videtur secundum singula legum scriptarum capita; id quod fieri non debere expressis verbis Atheniensis contendit 630 E.

Quod deinde Atheniensis in exitu eorum, quae modo exscripsi, verborum (632 D) censet neutiquam sibi reliquisque circa leges non ita versatis manifestum esse, quo modo in Cretensium Lacedaemoniorumque legibus insint *πάντα ταῦτα*, hoc quoque nemo non

[1]) cf. Brunsium p. 175 adn. 1.

ad ea refert, quae proxime antecedunt. Atqui singulae illae res quo modo Doriensium legibus essent dispositae, etiam ab homine circa leges non ita versato cognosci potuit. Bonum vero sensum habent illa verba (632 D), si ad ea referuntur, quae ante illam singularum rerum enumerationem leguntur, ita ut verbis *πάντα ταῦτα* (632 D) idem significetur atque verbis *πάντα τἀγαθά* (631 B): duplicis generis bona illa, quae legislatorem civibus suppeditare necesse sit. Haud facile ita 632 D Atheniensi videtur cognosci, quo modo Doriensium legislatores civibus suis illa bona suppeditent omnia.

Quae cum ita sint, apparet singularum rerum enumerationem illam (631 D—632 C) locum non habere vel potius olim non habuisse in hac Legum parte, qua Doriensium leges in iudicium vocantur. Atqui singulas illas res, quae 631 D — 632 C enumerantur, in posteriore Legum parte, qua colonia constituitur, legibus sanciri iam Boeckh l. c. p. 98 animadvertit.[1]) Quin etiam eodem ordine singulae res in posteriore parte tractantur, quo 631 D — 632 C enumeratae sunt:

Ac primum quidem 631 D nuptiarum et liberorum procreationis fit mentio. Agitur de his rebus in libro VI., inde a 772 D.

Deinde educatio commemoratur his verbis (631 D sq.): *ἐν ταῖς τῶν παίδων . . . τροφαῖς, ὅσοι τε ἄρρενες καὶ ὅσαι θήλειαι, νέων τε ὄντων καὶ ἐπὶ τὸ πρεσβύτερον ἰόντων μέχρι γήρως, τιμῶντα ὀρθῶς ἐπιμελεῖσθαι δεῖ καὶ ἀτιμάζοντα*. De educatione toto libro VII. agitur.

Pergitur 631 E: *ἐν πάσαις ταῖς τούτων* (sc. marium et feminarum) *ὁμιλίαις τάς τε λύπας αὐτῶν καὶ τὰς ἡδονὰς καὶ τὰς ἐπιθυμίας ξυμπάντων τε ἐρώτων τὰς σπουδὰς ἐπεσκεμμένον καὶ παραπεφυλαχότα ψέγειν τε ὀρθῶς καὶ ἐπαινεῖν δι᾽ αὐτῶν τῶν νόμων*. Marium feminarumque mutuus usus in libro VIII. (835 D sqq.) tractatur.

Sequitur 632 A locus non ita dilucidus: *ἐν ὀργαῖς τε αὖ καὶ ἐν φόβοις, ὅσαι τε διὰ δυστυχίαν ταραχαὶ ταῖς ψυχαῖς γίγνονται καὶ ὅσαι ἐν εὐτυχίαις τῶν τοιούτων ἀποφυγαί, ὅσα τε κατὰ νόσους ἢ κατὰ πολέμους ἢ πενίας ἢ τὰ τούτοις ἐναντία γιγνόμενα προσπίπτει τοῖς ἀνθρώποις παθήματα, ἐν πᾶσιν τοῖς τοιούτοις τῆς ἑκάστων διαθέσεως διδακτέον καὶ ὁριστέον τό τε καλὸν καὶ μή*. Sed quamvis obscurus sit hic locus, hoc quidem apparet: varias enumerari affectiones, in quibus qui deceat quemque ac dedeceat status, legislatori

[1]) cf. Stallbaumium in Legum editione I, p. 56, Praetorium, p. 36 sq.

definiendum sit. De hac re libro IX. agitur, in quo (863 E) Plato doceat iracundiae et timoris et voluptatis et doloris et invidiarum et cupiditatum in animo imperium omnino appellandum esse iniustitiam.

Deinde leguntur haec (632 B): *μετὰ δὲ ταῦτα ἀνάγκη τὸν νομοθέτην τὰς κτήσεις τῶν πολιτῶν καὶ τὰ ἀναλώματα φυλάττειν, ὅντιν' ἂν γίγνηται τρόπον, καὶ τὰς πρὸς ἀλλήλους ἐν πᾶσιν τούτοις κοινωνίας καὶ διαλύσεις ἑκοῦσίν τε καὶ ἄκουσιν, καθ' ὁποῖον ἂν ἕκαστον πράττωσιν τῶν τοιούτων πρὸς ἀλλήλους, ἐπισκοπεῖν τό τε δίκαιον καὶ μή, ἐν οἷς ἔστιν τε καὶ ἐν οἷς ἐλλείπει, καὶ τοῖς μὲν εὐπειθέσιν τῶν νόμων τιμὰς ἀπονέμειν, τοῖς δὲ δυσπειθέσι δίκας τακτὰς ἐπιτιθέναι.* De quaestu et commercio inde a libri XI. initio agitur.

In extremo de mortuorum sepulturis dicendum esse docemur 632 C. Et exponitur in exitu legislationis, quo modo mortui sint sepeliendi. Nam in libro XII., postquam 958 C sq. eodem fere modo atque 631 D—632 C singula legum capita enumerata sunt, sepulturae tractantur.[1])

Postremo legislatorem legum custodes constituturum esse Atheniensis promittit 632 C. Constituuntur illi custodes in ipso totius libri exitu, inde a verbis (960 B): *τῶν πάντων δ' ἑκάστοτε τέλος οὐ τὸ δρᾶσαί τι σχεδὸν οὐδὲ τὸ κτήσασθαι κατοικίσαι τ' ἐστίν, ἀλλὰ τῷ γεννηθέντι σωτηρίαν ἐξευρόντα τελέως ἀεὶ τότ' ἤδη νομίζειν πᾶν ὅσον ἔδει πραχθῆναι πεπρᾶχθαι, πρότερον δ' ἀτελὲς εἶναι τὸ ὅλον.* Quae cum ita sint, facere non possumus, quin Boeckhium secuti statuamus hoc loco (631 D — 632 C) postea inserto summatim adumbrari posteriorem operis partem.

Memineris velim verba *μετὰ δὲ ταῦτα τὰς ἄλλας προστάξεις τοῖς πολίταις εἰς ταῦτα βλεπούσας αὐτοῖς εἶναι διακελευστέον* pugnare cum interpolata illa enumeratione, quae sequitur. Altero enim loco Plato legislatorem re publica instituta eruditioneque disposita[2]) reliqua fere magistratibus praecipienda permittere iubet, altero loco ipsi legislatori omnia praecipienda esse contendit. Eodem

[1]) 958 C sq.: *Ἀνδρὶ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο γεννηθέντι καὶ ἐκτραφέντι καὶ γεννήσαντι καὶ ἐκθρέψαντι τέκνα καὶ ξυμμίξαντι ξυμβόλαια μετρίως, διδόντι τε δίκας εἴ τινα ἠδικήκει καὶ παρ' ἑτέρου ἐκλαβόντι, σὺν τοῖς νόμοις ἐν μοίρᾳ γηράσαντι τελευτὴ γίγνοιτ' ἂν κατὰ φύσιν. περὶ τελευτήσαντας δή . . .*

[2]) Rei publicae constitutione et vera eruditione suppeditat videlicet egislator civibus illa bona, quae antea (631 B sq.) enumerata sunt.

vero modo cum illis verbis (*μετὰ δὲ ταῦτα κτλ.*) pugnat tota posterior Legum pars, quippe qua legibus sanciantur fere omnia.

Atqui eadem atque illis verbis sententia profertur in Politia; itaque eodem modo atque illa verba cum posteriore Legum parte pugnat Politia. In hoc enim opere inde a 425 A Plato docet, dum modo res publica bene sit constituta et educatio recte sit instituta, non oportere legislatorem alia praecepta dare, veluti 425 B cum alia tum *γονέων θεραπείας* legibus sanciri non vult, quod legibus praescribere ea ineptum sit. Neque enim fieri ea neque constare posse verbis literisque praecepta; immo vera educatione efficiendum esse, ut recte illa fiant. Itaque 425 C Socrates Platonis ipsius loco hoc iudicat: *Ἐγὼ τοίνυν διὰ ταῦτα οὐκ ἂν ἔτι τὰ τοιαῦτα ἐπιχειρήσαιμι νομοθετεῖν.* Contra in Legibus inde a 930 E non modo cives monentur, ne parentes neglegant, sed etiam certa lege haec res sancitur 932 A sqq.

Pergitur in Politia 425 C: *Τί δέ, ὦ πρὸς θεῶν, ἔφην, τάδε τὰ ἀγοραῖα, συμβολαίων τε πέρι κατ' ἀγορὰν ἕκαστοι ἃ πρὸς ἀλλήλους συμβάλλουσιν, εἰ δὲ βούλει, καὶ χειροτεχνικῶν περὶ συμβολαίων καὶ λοιδοριῶν καὶ αἰκίας καὶ δικῶν λήξεως καὶ δικαστῶν καταστάσεως, καὶ εἴ που τελῶν τινες ἢ πράξεις ἢ θέσεις ἀναγκαῖοί εἰσιν ἢ κατ' ἀγορὰς ἢ λιμένας, ἢ καὶ τὸ παράπαν ἀγορανομικὰ ἄττα ἢ ἀστυνομικὰ ἢ ἐλλιμενικὰ ἢ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα τούτων τολμήσομέν τι νομοθετεῖν; — Ἀλλ' οὐκ ἄξιον, ἔφη, ἀνδράσι καλοῖς κἀγαθοῖς ἐπιτάττειν· τὰ πολλὰ γὰρ αὐτῶν, ὅσα δεῖ νομοθετήσασθαι, ῥᾳδίως που εὑρήσουσιν. — Ναί, ὦ φίλε, εἶπον, ἐάν γε θεὸς αὐτοῖς διδῷ σωτηρίαν τῶν νόμων, ὧν ἔμπροσθεν διήλθομεν.*[1]) Paullo post (427 A) Plato censet non modo in optima sed omnino in qualibet civitate illas res legibus non esse sanciendas. Contra in Legibus de commercio etc. legislator praecepta dat ipse.

Unum etiam Politiae locum afferre mihi liceat. 458 B Socrates: *Οἶμαι τοίνυν,* inquit, *εἴπερ ἔσονται οἱ ἄρχοντες ἄξιοι τούτου τοῦ ὀνόματος, οἵ τε τούτοις ἐπίκουροι κατὰ ταὐτά, τοὺς μὲν ἐθελήσειν ποιεῖν τὰ ἐπιταττόμενα τοὺς δὲ ἐπιτάξειν, τὰ μὲν αὐτοὺς πειθομένους τοῖς νόμοις, τὰ δὲ καὶ μιμουμένους, ὅσα ἂν ἐκείνοις ἐπιτρέψωμεν.*

Concedes Politiam, ut dixi, prorsus congruere cum Leg. I, 631 B—D. Utroque enim loco Plato censet legislatori rem publicam

[1]) Quae antea prolatae sunt leges, ad rei publicae constitutionem et ad educationem pertinent omnes.

atque eruditionem constituendam esse; ceterum vero magistratibus, quid quaque occasione praecipiant, permittendum esse; magistratibus autem id esse studendum, ut, quidquid praecipiant, cum legislatoris consilio consentiant. At in posterioribus Legum libris iam non sperat tales effici posse magistratus, qualibus eiusmodi civitati opus est, itaque legibus sanciri vult omnia.[1])

Quae cum ita sint, apparet eam, quam adhuc tractavimus, primi Legum libri partem conscriptam esse priore aliquo tempore, quo Plato nondum desperasset de efficienda optima re publica et omnino aliam atque in posterioribus Legum libris sententiam de legislatoris munere haberet.

Manifestum deinde est hoc: Platonem tum, cum Cretensium Lacedaemoniorumque leges excussurus erat, nondum in animo habuisse posteriorem Legum partem addere, qua legibus disponantur omnia. Itaque de posteriorum librorum adumbratione illa in librum I. (631 D—632 C) inserta statuemus hoc: Platonem tum, cum sententia sua mutata posteriores libros addidisset vel addere constituisset, quid tunc ei videretur legislatoris esse, etiam in operis initio, quippe quo de legislatoris officiis egisset, designare voluisse et hac de causa illum locum inseruisse. Sane ita, ut nunc se habet, adumbratio illa haud pauca habet, quae offendant. Sed meminerimus Platonem, quominus Leges expoliret, morte esse prohibitum. Philippus autem illum locum neque eleganter neque dilucide compositum[2]) ita in contextum recepit, ut magister eum inseruerat.

Iam vero sequentum orationem excutiamus.

Iactum est fundamentum, quo nisus Plato in Doriensium leges inquisiturus est; quaerendum enim est, utrum illorum leges duo illa bonorum genera civibus suppeditent necne. Huius sententiae Atheniensis finem facit 632 C similibus verbis atque exponere eam coepit 631 B:

631 B: *πῇ δὴ οὖν σε ἔτ' ἂν ἐβουλόμην διελόμενον λέγειν αὐτός τε ἀκούειν, βούλει σοι φράζω;*	632 C: *οὕτως, ὦ ξένοι, ἔγωγε ἤθελον ἂν ὑμᾶς καὶ ἔτι νῦν βούλομαι διεξελθεῖν κτλ.*

Iubet igitur 632 C Atheniensis socios secundum hanc normam ipsorum leges excutere. Clinias autem disputandi non ita peritus[3])

[1]) cf. 875 D, Gomperzium, Plat. Aufs. IV, p. 7 sq.

[2]) cf. Boeckhium, p. 98, Brunsium, p. 175.

[3]) cf. Cliniae verba (644 D): *Μόγις μέν πως ἐφέπομαι.*

nescit, quo modo hanc quaestionem instituat, itaque 632 D quaerit hoc: *πῶς οὖν, ὦ ξένε, λέγειν χρὴ τὰ μετὰ ταῦτα;* Respondet ei Atheniensis 632 D sq.: Ac primum quidem ea instituta esse enumeranda, quibus in fortitudine exerceantur Dorienses. Deinde eodem modo reliquas virtutis species esse tractandas. Tum addit hoc: *ὕστερον δὲ ἀρετῆς πάσης τά γε νυνδὴ ἃ* (ἃ inseruit Hermann) *διήλθομεν ἐκεῖσε βλέποντα ἀποφανοῦμεν, ἂν θεὸς ἐθέλῃ.* Boeckh l. c. p. 98 censet horum verborum sensum esse hunc: Post universam virtutem etiam ea, de quibus modo disseruimus, eo ostendemus respicere. Significari nuptias, liberorum educationem et cetera inde a p. 631 D enumerata, quae tractentur in altera operis parte. Eodem fere modo Stallbaum et Ritter p. 8 hunc locum intellegi voluerunt. Nos vero eis non assentimur; immo missam facimus interpolatam illam partem (631 D sqq.) et alio modo illud *ὕστερον δὲ κτλ.* interpretamur. Quid significent verba *ἀρετῆς πάσης,* ex eo apparet, quod 630 A sq. verbis *ξυμπάσης ἀρετῆς* comprehenduntur iustitia, temperantia, prudentia, fortitudo. Manifestum igitur est verbis *ἀρετῆς πάσης* significari quattuor illas virtutes, quae 631 C divina bona vocabantur. Quibus absolutis demonstrandum Atheniensi videtur ea quoque, quae ad universam virtutem spectare modo exposuerit,[1]) Doriensium legibus suppeditari.[2]) Exposuit autem Atheniensis 631 B—D ad divina illa bona spectare bona humana: sanitatem, pulchritudinem, robur, divitias, id quod magistratus legislatori commonendi sint (631 D). Itaque ad humana illa bona referenda sunt verba *τά γε νυνδὴ ἃ διήλθομεν ἐκεῖσε βλέποντα.* Quae cum ita sint, 632 E eodem modo atque 631 B—D duo illa bonorum genera secernuntur, neque vero 632 E de singulis illis rebus 631 D—632 C enumeratis cogitandum est.

Iam incipiunt socii, quae apud Dorienses inveniantur fortitudinis instituta enumerare. Afferunt autem *ξυσσίτια, γυμνάσια* (633 A), *θήραν, καρτερήσεις τῶν ἀλγηδόνων κτλ.* Addit Megillus 633 C: inveniri et permulta alia, fere ut singula si quis persequatur, finem non inveniat. Atheniensis vero: *Εὖ γε,* inquit (633 C sq.), *ὦ Λακεδαιμόνιε ξένε, λέγεις. τὴν ἀνδρείαν δέ, φέρε, τί θῶμεν; πότερον*

[1]) Participium *ἐκεῖσε βλέποντα* cum verbo *διήλθομεν* esse coniungendum Tiemann l. c. p. 4 docuit.

[2]) Quasi occultata haec sunt in legibus, ita ut non cuilibet homini sint manifesta (632 D: *ἡμῖν οὐδαμῶς ἐστι καταφανῆ*) et quodam modo in lucem sint proferenda (632 E: *ἀποφανοῦμεν*).

ἁπλῶς οὕτως εἶναι πρὸς φόβους καὶ λύπας διαμάχην μόνον, ἢ καὶ πρὸς πόθους τε καὶ ἡδονὰς καί τινας δεινὰς θωπείας, αἳ καὶ τῶν σεμνῶν οἰομένων εἶναι τοὺς θυμοὺς ποιοῦσιν κηρίνους; Megillus facere non potest, quin socio assentiatur, et Clinias 633 E censet multo turpius esse voluptatibus quam doloribus succumbere. Atheniensis autem 634 A persuasum sibi esse simulat Lycurgi et Minois leges civibus veram fortitudinem suppeditare, quae non modo doloribus sed etiam voluptatibus resistere possit, iubetque (634 A sq.) socios exponere, quo modo apud Dorienses medias in voluptates inducantur homines atque vincere eas cogantur. Neque vero Megillus neque Clinias eiusmodi instituta possunt afferre, quae quidem ad magnas et insignes voluptatum partes pertineant. Atheniensis: *Ὦ ἄριστοι ξένων*, inquit, *καὶ οὐδέν γε θαυμαστόν.* Itaque iam dudum Atheniensi persuasum erat Doriensium legibus veram fortitudinem non suppeditari. Sane primum intuenti mirum videtur esse eundem, qui 634 A exspectaverit neque Minoem neque Lycurgum claudam fortitudinem legibus informasse, paullo post mirari se negare, quod clauda ab illis informata sit fortitudo. Sed facile haec discrepantia expeditur, si Tiemannum (p. 5) secuti statuimus[1]) ironice Atheniensem dixisse ea, quibus Doriensium leges laudabat. Atheniensis enim illas leges optimas esse sibi videri ea de causa simulavit, quod Clinias et Megillus (624 A) divinas esse leges suas contenderant. Nunc vero, ubi veram fortitudinem illis legibus non suppeditari demonstravit, Atheniensis veram sententiam suam profert, et exponit (634 D sq.) dis Doriensium leges ea de causa esse attributas, ut omnes omnia deorum auctoritate optime esse instituta consentiant. Hanc sententiam si prius protulisset, sociis fortasse non persuasisset; nunc vero ei contigit, ut illis persuadeat: 634 E sq.

635 A socii constituunt rem institutam porro tractare. Clinias autem Atheniensem monet (635 A sq.), ne Doriensium leges vituperare remittat; nam ex rerum minus pulchrarum cognitione medelam oriri. Atheniensis 635 B—D iterum profert sententiam suam: non modo doloribus Doriensium legislatores cives suos exercere debuisse sed etiam voluptatibus, ut vere fortes eos redderent.

Fortitudine absoluta transitur 635 E ad aliam virtutis speciem: ad temperantiam; ad hanc quae pertineant Lacedaemoniorum Cretensiumque instituta afferri cupit Atheniensis. Affert Megillus

---

[1]) cf. Ritterum, p. 5 sqq., Kriegium, p. 7.

nunc quoque gymnasia et convivia. Sed Atheniensis demonstrat magno ea esse incommodo; praecipue (636 B—D) voluptates venereas illis institutis apud Dorienses esse corruptas, ita ut mares cum maribus coeant. Hoc ut fiat, effectum esse voluptatis incontinentia (636 C).

Hoc igitur loco voluptatis continentia temperantiae attribuitur; nam de hac se dicturum esse Plato promisit 635 E. Atqui antea (633 C sqq.) voluptates vincere fortitudinis esse docuerat Atheniensis. Itaque Zeller (Plat. Stud. p. 59) miratus est continentiam, quae antea attributa sit fortitudini, nunc (635 E sqq.) temperantiae attribui. Censet autem vir doctus iam inde a 633 C de temperantia esse actum. Susemihl l. c. p. 613 hanc difficultatem expedire conatus est; dicit enim hoc: Weit entfernt, daß wir es mit Zeller für verfehlt halten könnten, wenn so zur Tapferkeit gerechnet wird, was doch zur Besonnenheit gehöre und von p. 635 E an, aber wie etwas Neues, als solche aufgeführt werde, finden wir grade in diesem Umstande den Fingerzeig dafür, daß jene vorhin angekündigte Disposition,[1]) die Behandlung aller Tugenden nach dem Muster der Tapferkeit, in Wahrheit nichts anderes besagen soll, als daß in eben jener kurzen Erörterung der letzteren p. 633 A—635 E die gesuchte volle Allgemeintugend bereits gefunden ist. Iure ac merito Susemihlio obstitit Bruns, qui p. 143 sq. recte dixerit: Diese Susemihlsche Erklärung mutet dem Schriftsteller eine Art des Versteckspielens vor dem Verständnis des Lesers zu, für die es Susemihl nicht möglich sein dürfte Beispiele zu finden . . . Mir fehlt das Verständnis für diese Argumentation. Ich meine, wenn ein Schriftsteller als Plan hinstellt: „Ich will für die einzelnen Gattungen der Tugend die vorhandenen Institutionen aufsuchen“, so kann er damit nicht sagen wollen: „Eigentlich will ich etwas ganz anderes tun, nämlich die Allgemeintugend aufsuchen.“ Und wenn er die Absicht hat, diesen ersten Plan zu ändern, so muß er dies in einer etwas verständlicheren Form tun, als damit, daß er an einer allerdings sehr unpassenden Stelle einschiebt: „Ich will jetzt zu dem zweiten Punkt der aufgestellten Disposition übergehen.“ [2]) Itaque cum Susemihlio non est faciendum. Bruns autem (p. 19) Zellerum secutus et Ritter

---

[1]) cf. 632 E.

[2]) 635 E.

p. 9 contendunt de temperantia iam esse actum inde a 633 D. Quodsi recte id statuerunt viri docti, Brunsio hoc quoque concedendum est (p. 19 sq.): a logicae praeceptis abhorrere verba (635 E) *ἀλλ' εἰ τὸ μετὰ ταῦτα διεξίοιμεν ὧν προὐθέμεθα — μετ' ἀνδρείαν γὰρ δὴ σωφροσύνης πέρι λέγωμεν κτλ.*, quod his verbis ad aliam rem atque antea tractata sit, videatur transiri, nec tamen transeatur. Sed quaerendum est, utrum recte illud observaverint viri docti necne. Sane eorum sententia stabiliri videtur eo, quod aliis Legum locis, quibus de fortitudine et de temperantia agitur, res ita se habet, ut fortitudo ad solum timorem pertineat, temperantia ad voluptatem. Summi momenti sunt duo loci: 963 E et 647 D. 963 E Atheniensis hoc dicit: *Ἐρώτησόν με, τί ποτε ἂν προσαγορεύοντες ἀρετὴν ἀμφότερα δύο πάλιν αὐτὰ προσείπομεν, τὸ μὲν ἀνδρείαν, τὸ δὲ φρόνησιν. ἐρῶ γάρ σοι τὴν αἰτίαν, ὅτι τὸ μέν ἐστι περὶ φόβον, οὗ καὶ τὰ θηρία μετέχει τῆς ἀνδρείας καὶ τά γε τῶν παίδων ἤθη τῶν πάνυ νέων· ἄνευ γὰρ λόγου καὶ φύσει γίγνεται ἀνδρεία ψυχή.* Eadem fere atque hoc loco sententia de fortitudine profertur 647 D; quin etiam dilucide id, quod 633 D sqq. fortitudini videbatur attribui, 647 D temperantiae attribuitur; legitur enim 647 C sq.: *ἢ τῇ μὲν δειλίᾳ τῇ ἐν αὐτῷ προσμαχόμενον καὶ νικῶντα αὐτὴν δεῖ τέλεον οὕτω γίγνεσθαι πρὸς ἀνδρείαν, ἄπειρος δὲ δήπου καὶ ἀγύμναστος ὢν τῶν τοιούτων ἀγώνων ὁστισοῦν οὐδ' ἂν ἥμισυς ἑαυτοῦ γένοιτο πρὸς ἀρετήν· σώφρων δὲ ἄρα τελέως ἔσται μὴ πολλαῖς ἡδοναῖς καὶ ἐπιθυμίαις προτρεπούσαις ἀναισχυντεῖν καὶ ἀδικεῖν διαμεμαχημένος καὶ νενικηκὼς μετὰ λόγου καὶ ἔργου καὶ τέχνης ἔν τε παιδιαῖς καὶ ἐν σπουδαῖς, ἀλλ' ἀπαθὴς ὢν πάντων τῶν τοιούτων;* Eisdem fere verbis[1]) hoc loco idem atque 633 D sqq. profertur: etiam voluptatibus exercendos esse homines; sed 633 D sqq. fortitudini id attribuitur, 647 D temperantiae.

Nec tamen cum viris doctis illis facio. Neque enim logicae praecepta 635 E negleguntur, si reputamus, quid in Politia de fortitudine sit dictum. In hoc enim opere de fortitudine eadem sententia profertur atque Leg. 633 D sqq. Quid sit fortitudo, Pol. 429 C hoc modo exponitur: Socr.: *Σωτηρίαν ἔγωγε λέγω τινὰ εἶναι τὴν ἀνδρείαν.* Glauco: *Ποίαν δὴ σωτηρίαν;* Socr.: *τὴν τῆς δόξης τῆς*

---

[1]) 633 D: *διαμάχην . . . πρὸς πόθους τε καὶ ἡδονὰς καί τινας δεινὰς θωπείας.* | 647 D: *ἡδοναῖς καὶ ἐπιθυμίαις . . . διαμεμαχημένος.*

ὑπὸ νόμου διὰ τῆς παιδείας γεγονυίας περὶ τῶν δεινῶν ἅ τέ ἐστι καὶ οἷα· διὰ παντὸς δὲ ἔλεγον αὐτῆς σωτηρίαν τὸ ἔν τε λύπαις ὄντα διασῴζεσθαι αὐτὴν καὶ ἐν ἡδοναῖς καὶ ἐν ἐπιθυμίαις καὶ ἐν φόβοις καὶ μὴ ἐκβάλλειν.

Quod Zeller[1]) contendit Platonem, ubicumque in Legibus de singularum virtutum natura agat, vulgarem opinionem sequi, quam in Politia impugnaverit, concedendum est ita rem se habere 963 E[2]) et 647 D; contra 633 D sqq. prorsus congruit cum Politia. Utroque enim loco, et Pol. 429 C sqq. et Leg. 633 D sqq. fortitudo in eo consistit, ut homines educatione vel exercitatione eo sint perducti, ut neque timore neque voluptate neque cupiditate ad ullum turpe factum adducantur. Eodem modo ea, quae Leg. 636 A sqq. de temperantia profertur sententia congruit cum Pol. 430 E sqq. Temperantia enim (431 A) in eo consistit, ut deterior animae pars — sc. voluptates et cupiditates (430 E) — meliori parti, i. e. intellectui pareant. Idem Plato explicat Leg. 636 E, cum contendat homines non debere *ἀνεπιστημόνως* voluptatibus aut doloribus se dedere. Dixerit forsitan quispiam idem fere ita esse temperantiam et fortitudinem. Sed immerito ille; nam temperantia in eo consistit, ut voluptatibus etc. aut omnibus aut semper aut nimis nos dedere prohibeamur intellectu,[3]) fortitudo in eo, ut, ubicumque nos illis dederimus, nihil turpe faciamus (635 C).

Notandum mihi videtur aliam quoque rem Politiae propriam in Legum initio occurrere. Haud raro in illo opere Plato inter se comparat civitatis et hominis privati virtutes, in primis illo loco (427 E sqq.), quo demonstrat eam, quam modo constituerit, urbem sapientem esse et fortem et temperantem et iustam; veluti 431 A—D exponit hominem privatum temperantem esse, cum eius cupiditates et voluptates intellectui obtemperent, civitatem, cum plurimorum cupiditates et voluptates obtemperent paucorum praestantiorum virorum intellectui. Hoc si fiat, et privatum hominem et civitatem cupiditatibus et voluptatibus suis atque quasi se ipsa esse potentiorem. Huius Politiae loci admonemur, cum Legum

---

[1]) Plat. Stud. p. 35; Philos. d. Gr. II, 1^4 p. 958.

[2]) cf. inter se Pol. 430 B: Leg. 963 E.

[3]) cf. 636 D sq.: *ὧν — sc. ἡδονῶν καὶ λυπῶν — ὁ μὲν ἀρυτόμενος ὅθεν τε δεῖ καὶ ὁπότε καὶ ὁπόσον . . .*

exordium legimus, quo retractatur quodam modo illa sententia,[1]) nisi quod de temperantia agi hoc loco non expressis verbis significatur. Sed etiam eo loco, quo de temperantia agi expressis verbis significatum est 635 E, et hominum privatorum et civitatum fit mentio; legimus enim 636 D sq.: *νόμων δὲ πέρι διασκοπουμένων ἀνθρώπων ὀλίγου πᾶσά ἐστιν ἡ σκέψις περί τε τὰς ἡδονὰς καὶ τὰς λύπας ἔν τε πόλεσιν καὶ ἐν ἰδίοις ἤθεσιν · δύο γὰρ αὗται πηγαὶ μεθεῖνται φύσει ῥεῖν, ὧν ὁ μὲν ἀρυτόμενος ὅθεν τε δεῖ καὶ ὁπότε καὶ ὁπόσον εὐδαιμονεῖ, καὶ πόλις ὁμοίως καὶ ἰδιώτης καὶ ζῷον ἅπαν.*

Iam vero ad fortitudinis notionem redeamus. Pluribus verbis iam non mihi videtur opus esse ad stabiliendam sententiam meam: eam, quae 633 D sqq. occurrat, fortitudinis notionem eandem esse atque in Politia, aliam atque posterioribus Legum locis inveniatur. Itaque ex hac quoque re apparet Legum exordium, quantum quidem adhuc persecuti sumus, priore aliquo tempore esse conscriptum. Summi autem momenti id est, quod 647 C sq. ea, quae 633 C sqq. explicata est, fortitudinis notione prorsus neglecta ea ipsa, quae 633 C sqq. impugnata est, sententia profertur: ad unum timorem pertinere fortitudinem. Meo quidem iudicio, si uno tenore scripta sit illa pars, quae utrumque illum locum continet, fieri non potuit, ut duobus locis tam propinquis sententiae tam diversae proferrentur. At potuit id fieri, si alter locus altero tempore conscriptus est. Hoc ubi statuimus, facile diiudicatur alia controversia, quae ea de causa est orta, quod inde a 637 C/D ea, quae 632 E proposita est, dispositio disputandi prorsus neglegitur neque usquam tractatio 632 E promissa ad finem ducitur.

Atheniensis censuerat (636 D sq.) voluptatibus fruendum esse, dum modo quis prudenter eis frueretur. Tamen Megillus censet iure ac merito Lacedaemonios voluptatibus frui vetari praedicatque apud Lacedaemonios vix quemquam conspici ebrium (636 E—637 B). Ad haec Atheniensis respondet voluptatibus frui laudabile esse, si continentia quaedam adhibeatur. Inveniri autem etiam apud Lacedaemonios quasdam res, quae vituperari possint, veluti mulierum licentiam. Sed cuicumque mirum videatur alterius oppidi aliquod institutum, ei illius oppidi cives solere respondere: hanc sibi esse

---

[1]) 626 E: *ἐπειδὴ γὰρ εἷς ἕκαστος ἡμῶν ὁ μὲν κρείττων αὑτοῦ, ὁ δὲ ἥττων ἐστί, πότερα φῶμεν οἰκίαν τε καὶ κώμην καὶ πόλιν ἔχειν ταὐτὸν τοῦτο ἐν αὑταῖς;* — cf. ea, quae Pol. 430 E sq., et ea, quae Leg. 627 C sq. de notione *κρείττω αὑτοῦ εἶναι* proferuntur.

legem, aliam fortasse in alio oppido de eadem re esse legem. Pergitur deinde (637 C sq.): *ἡμῖν δ' ἐστὶ νῦν, ὦ φίλοι ἄνδρες, οὐ περὶ τῶν ἀνθρώπων τῶν ἄλλων ὁ λόγος, ἀλλὰ περὶ τῶν νομοθετῶν αὐτῶν κακίας τε καὶ ἀρετῆς.* Hoc enuntiato Atheniensis monere videtur, ut ad eam, quam tractandam sibi proposuerint, rem redeant. Et per se illa verba ita possunt intellegi, ut Atheniensis iterum in iudicium vocari cupiat Cretensium Lacedaemoniorumque legislatores. Atqui illi non porro examinantur secundum virtutis species, immo usque ad libri II. finem prorsus novae leges explicantur; exponitur enim, quo modo in educatione utendum sit vino. Indicatur haec tractatio verbis (637 D) *ἔτι γὰρ οὖν εἴπωμεν πλείω περὶ ἁπάσης μέθης· οὐ γὰρ σμικρόν ἐστιν τὸ ἐπιτήδευμα οὐδὲ φαύλου διαγνῶναι νομοθέτου.*

Quae cum ita sint, enuntiato illo (*ἡμῖν δ' ἐστὶ νῦν — κακίας τε καὶ ἀρετῆς*) ad novam rem transitur. Possunt enim illa verba etiam ita intellegi, ut Ritter p. 9 ea interpretatus est: Darauf allein kommt es uns hier an, was grundsätzlich für die Gesetzgebung richtig ist oder unrichtig. Egreditur autem ita scriptor hoc loco ex pristinae dispositionis (632 E) finibus, ut recte observavit Bruns p. 16 sq., 20 sq., quem secuti sunt Praetorius p. 28 et Krieg p. 20 et Ritter p. 7.

Notissimum est Platonem nonnunquam in dialogis suis facere digressiones. Sed hoc loco de digressione cogitari nequit; neque enim usquam res proposita, i. e. Doriensium legum examen, porro tractatur, nedum ad finem ducatur. Restat, ut scriptorem eam, quam supra protulerit, dispositionem hoc loco omnino abicere statuamus. Sane id facere licet scriptori, si aliqua causa aut ab ipso profertur aut ex disputatione apparet. Atqui ab ipso Platone causa affertur nulla, ita ut iam Brunsium offenderit abrupte hoc loco in novam quaestionem cadi. Causam in dialogo latentem detexisse sibi videtur Ritter. Censet enim vir doctus p. 7 sq., postquam Doriensium legibus non omnia bona suppeditari uno exemplo satis sit demonstratum, porro Atheniensi iam non fuisse inquirendum, ne socios laedat. Haec sententia nullo modo potest stare. Nam, si tam cautus esset Atheniensis, iam 634 C illius quaestionis finis erat faciendus, postquam Doriensium legibus veram fortitudinem non suppeditari apparuit. Neque vero finem ille fecit, immo futurum esse praedixit 634 C, ut alter alterius leges vituperet. Quid, quod Clinias 635 A Atheniensem monet, ne Doriensium leges vituperare vereatur, Atheniensis autem

respondet 635 B vituperaturum se illas non esse prius, quam solide ac pro viribus eas habeat perspectas? Nonne clare ac dilucide Atheniensis ita dicit: tunc quoque se eam, quam proposuerit, rem ad umbilicum velle duci? Et pergunt 635 E Doriensium leges examinare secundum dispositionem illam 632 E prolatam; ad aliam enim virtutis speciem transeunt 635 E. Expressis igitur verbis Atheniensis saepius affirmavit in animo sibi esse Doriensium legum examen ad finem ducere, neque intellegitur, qua causa ille adductus sit, ut ipso hoc loco abrupte in prorsus alias res cadat.

Accedit alia difficultas. Quod enim Atheniensis verbis (637 B) *ἐπαινετὰ μὲν πάντ᾽ ἐστὶν τὰ τοιαῦτα, ὅπου τινὲς ἔνεισιν καρτερήσεις, ὅπου δὲ ἀνεῖνται, βλακικώτερα* clare ac dilucide iam exposuit, quae sua de ebrietate sit sententia, minime exspectaveris eundem paucis verbis post (637 D sq.) dubitaturum esse, utrum ebrietate Scytharum in modum effuse utendum sit an omnino ea abstinendum sit.[1]

Atqui apparuit unum sequentis partis locum (647 C sq.) aliquanto post 633 D sqq. esse conscriptum. Statuimus igitur totam eam, quae 637 C incipiat, partem aliquanto post ea, quae antecedunt, esse compositam atque hoc loco Doriensium legum examini annexam esse ea de causa, quod paullo ante de ebrietate erat actum. Transitum autem ad novam materiem valde mirum vel potius nullum fieri non ita mirum est, quoniam Leges non sunt expolitae.

Aliquanto post exordio annexa esse ea, quae inde a 637 D leguntur, ex eo quoque apparet, quod Atheniensis eam, quam 633 D sqq. protulerat, sententiam: non modo doloribus sed etiam voluptatibus, ut vincere eas discant, exercendos esse homines 647 C sq. iterum profert, sed ita, ut crederes nondum eum hac de re esse locutum.[2] Oblitus igitur esse videtur Plato antea iam se eandem sententiam protulisse.

Quae cum ita sint, constat vetustissimam Legum partem, quoad quidem servata sit, finitam esse verbis: *νόμος ἔσθ᾽ ἡμῖν οὗτος, ἴσως δ᾽ ὑμῖν περὶ αὐτῶν τούτων ἕτερος* (637 C). Constat etiam hoc: huius partis argumentum ad Politiam propius accedere quam

---

[1] 637 D: *πότερον, ὥσπερ Σκύθαι χρῶνται καὶ Πέρσαι, χρηστέον, . . . ἢ καθάπερ ὑμεῖς· ὑμεῖς μὲν γάρ, ὅπερ λέγεις, τὸ παράπαν ἀπέχεσθε.*

[2] 647 C: *τί δ᾽, ὅταν ἐπιχειρῶμέν τινα φοβερὸν* (= *σώφρονα*, cf. 647 D) *ποιεῖν μετὰ δίκης, ἆρ᾽ οὐκ ἀναισχυντίᾳ ξυμβάλλοντας αὐτὸν καὶ προσγυμνάζοντας νικᾶν δεῖ ποιεῖν διαμαχόμενον αὑτοῦ ταῖς ἡδοναῖς; κτλ.*

reliquum opus. Atqui supra demonstravimus etiam libri IV. caput IV. propius accedere ad Politiam quam ea, quae antecedunt et sequuntur. Manifestum autem est illud caput disputationis alicuius olim fuisse particulam ab eisdem, qui per reliquum opus disputant, institutae, praesertim cum 708 D sq. Clinias sermonis antecedentis rationem habeat verbis: *Εἰκός· ὅπῃ δ᾽ αὖ βλέπων τοῦτ᾽ εἴρηκας, φράζ᾽ ἔτι σαφέστερον.* Ad quemnam Clinias spectet sermonem, nunc apparere mihi videtur. Meminerimus enim, qua de re in Legum exordio sub finem agatur: Atheniensis exponit (637 C) alias civitates aliis legibus uti, quas inter se diversissimas esse. Hanc tritam illa aetate atque pervulgatam sententiam optime excipit libri IV. caput IV. Postquam enim Atheniensis de legum diversitate disseruit, Clinias 708 D respondet: *Εἰκός· ὅπῃ δ᾽ αὖ βλέπων τοῦτ᾽ εἴρηκας, φράζ᾽ ἔτι σαφέστερον.* Atheniensis autem exponit dicturum se videri nullum unquam hominem sancire quidquam, sed fortunas et casus varios varie accidentes sancire hominibus omnia.[1] Nonne ex illa legum diversitate hoc potuit concludi: nihil valere ad eas sanciendas legislatorum artem, immo variis casibus ortas eas videri? Hanc vero sententiam statim reprimit Plato docetque legislatoris artem valere multum; deinde exponit optime bonum legislatorem munere suo posse fungi, cum ei contigerit, ut principem magna potentia praeditum conciliet. Non est, quod haec digressio non potuerit coniungi cum Doriensium legum examine.

Atenim uno loco sententia nostra videtur refutari. 709 E sqq. docemur tyrannum illum praeditum esse debere temperantia. Temperantia autem illa hoc modo definitur (710 A sq.): *Τὴν δημώδη γε, ὦ Κλεινία, καὶ οὐχ ἥν τις σεμνύνων ἂν λέγοι, φρόνησιν προσαναγκάζων εἶναι τὸ σωφρονεῖν, ἀλλ᾽ ὅπερ εὐθὺς παισὶν καὶ θηρίοις, τοῖς μὲν ἀκρατῶς ἔχειν πρὸς τὰς ἡδονάς, ξύμφυτον ἐπανθεῖ, τοῖς δὲ ἐγκρατῶς· ὃ καὶ μονούμενον ἔφαμεν τῶν πολλῶν ἀγαθῶν λεγομένων οὐκ ἄξιον εἶναι λόγου.* Hoc loco non modo vulgaris temperantia, quae prudentia (*φρονήσεως*) caret et ad solas voluptates pertinet, occurrit, id quod cum Legum exordio (636 D sq.) pugnat, sed etiam loci cuiusdam, qui in tertio libro invenitur, fit mentio. Nam exitum eorum, quae modo exscripsi, verborum referri necesse est ad III, 696 D sq., quo loco Plato exposuit temperantiam per se non commemoratione sed

---

[1] cf. p. 17.

silentio esse dignam.[1] Ea vero, quae 709 E sq. leguntur: *ὃ δὲ καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν ἐλέγομεν δεῖν ἕπεσθαι ξύμπασιν τοῖς τῆς ἀρετῆς μέρεσι κτλ.* ad III, 696 B et 697 B spectant.

Atqui ea, quae 709 E sqq. de temperantia proferuntur, cum alio huius capitis loco pugnant. Exponitur enim 712 A: non posse fieri, ut optima nascatur res publica, nisi cum et prudentia et temperantia cum summa potestate in aliquo homine in unum conveniant. Num credi potest eundem scriptorem eodem tempore utrumque locum scripsisse? Horn l. c. p. 406 censuit hanc discrepantiam attribuendam esse Philippo, Legum editori. Neque vero intellegitur, qua causa adductus ille magistrum correxerit. Itaque contendo Platonem ipsum auctorem esse illius discrepantiae. Invenitur autem alia quoque discrepantia in hoc capite: 711 E, postquam tum quoque optimam fieri posse civitatem, cum aliquo in homine veluti in Nestore summa vis dicendi summaque temperantia in unum convenerint, expositum est, pergitur: *τοῦτ' οὖν ἐπὶ μὲν Τροίας, ὥς φασι, γέγονεν, ἐφ' ἡμῶν δὲ οὐδαμῶς· εἰ δ'οὖν γέγονεν ἢ καὶ γενήσεται τοιοῦτος ἢ νῦν ἡμῶν ἔστιν τις κτλ.* Miror hanc discrepantiam adhuc fugisse viros doctos. Nimirum ea orta est hoc modo: Tum cum Plato hoc caput composuit, dubitavit an illa quoque aetate eiusmodi orator esset. Postquam vero ad talem de hominum natura pervenit sententiam, qualem 691 C, 713 C, 875 B sq. profert, etiam de oratore illo desperavit atque in margine videtur addidisse eam, quam tunc habuit, sententiam: eiusmodi oratorem inveniri nusquam, i. e. verba *τοῦτ' οὖν ἐπὶ μὲν Τροίας, ὥς φασι, γέγονεν, ἐφ' ἡμῶν δὲ οὐδαμῶς.* Eodem modo res se habet illo loco (709 E sqq.), quo de temperantia disputatur. Ironice Plato tyrannum temperantem esse debere dicit, id quod vel ex verbis *τυραννουμένῃ ψυχῇ* (710 A) apparet. Ad Politiae p. 577 E sqq. haec verba spectare recte observavit Zeller (Pl. St. p. 38). Ibi, quid sit *τυραννουμένη ψυχή* (577 E), exponitur; docemur autem 578 A *ἄπληστον* etc. eam esse. Eiusmodi animam temperantem esse non posse manifestum est.[2] Voluit igitur Plato hoc dicere: Ne eae,

---

[1]) cf. Ritterum p. 102 sq.

[2]) Ritter, p. 109, censet verbis *τυρ. ψ.* hoc Legum loco nihil aliud significari nisi tyranni animam, ita ut *τυρ.* medii, non passivi sit participium. Sed ipsi Rittero ita concedendum videtur: Der Ausdruck ist in der Tat merkwürdig unnatürlich und verschroben.

quae antea enumeratae sunt, tyranni virtutes (cf. 709 E) inutiles sint, necesse est temperantia eum esse praeditum, si non ea, cum qua prudentia coniuncta est, tamen vulgari; sc.: sed ne hoc quidem fieri potest unquam. Eadem ita hoc loco profertur sententia atque 875 B—D. Sed hoc tenendum est: illum locum (709 E—710 B) non una cum reliquo capite IV, IV esse scriptum; immo ex 712 A concluserim *φρονήσεως* olim 709 E mentionem fuisse factam. Platonem autem libros suos iterum iterumque emendare solitum esse auctor est Dionys. Hal. (de compos. verb., p. 208 R), qui hac de re multas narratiunculas narratas esse memoriae tradidit.

Demonstravimus supra (p. 34) illum locum (637 D), quo ebrietas accuratius tractari incipitur, offendere, quod iam 637 B Atheniensis iudicium suum hac de re protulit. Non esset orta haec discrepantia, si statim extremis Megilli verbis (637 B) illam de vino quaestionem Plato annexuisset. Itaque censeo verba *τούτων ἕτερος,* post quae nova incipit pars (637 C), scripta fuisse in fine aut tabulae aut paginae. Sequentes paginas, in quibus IV, IV erat scriptum, Plato seposuit tum, cum vinum uberius erat tractaturus.

Quo modo IV, IV in eum, quem nunc tenet, locum pervenerit, diiudicare non audeo: aut editor hoc caput, ne perire sineret quidquam, hoc loco, qui aptissimus ei videretur, inseruit; aut Plato ipse id hoc loco inserere voluit. Hoc si voluit Plato, non est dubium, quin plura etiam mutaturus fuerit, si ei contigisset, ut Leges expoliret; nam ita, ut nunc illud fragmentum legitur, et secum ipso et cum reliquo opere pugnat neque cum eis, quae antecedunt et quae sequuntur, coniunctum est. Editori autem gratiam debemus, qui neque discrepantias illas tollere neque de suo illum locum cum reliquis coniungere conatus sit sed ea, quae a Platone relicta invenerat, ad verbum depinxerit omnia.

Quodsi quaerimus, qua de causa Plato Doriensium leges in iudicium vocaverit: demonstrare voluit apud Dorienses non inveniri eas virtutis species, quae suae civitatis in Politia delineatae propriae essent.[1] Hoc demonstrare haud scio an opus fuerit. Etenim erant haud pauca, quae communia essent Doriensium civitatibus et ei civitati, quam Plato in Politia descripsit.[2] Facile igitur fieri potuit, ut Platonicam civitatem eandem atque illas esse

---

[1]) cf. Pol. 427 E sqq.

[2]) cf. Zellerum II, 1^4, p. 915 sqq.

putarent. Hoc aut quod factum erat, aut ne fieret, Plato demonstrabat, quae ratio inter suam et illas civitates intercederet: suam civitatem universae virtutis, illas solius bellicae virtutis participes esse. Apparet ita, cur Atheniensem suum, qui ipsius scriptoris profert sententias, colloquentem fecerit cum Cretensi Lacedaemonioque. Itaque haec prima Legum pars quasi appendix est Politiae. Utrum Doriensium legum examen ad finem olim fuerit ductum necne, diiudicare non audeo.

Caput II.

Cum alii tum Poehlmann l. c. I p. 480 sqq. et Sill,[1]) Hermannum[2]) secuti, censuerunt libri IV. caput IV. ad eam, quam Plato in Dionysio minore olim posuerit, spem spectare. Dionysium esse tyrannum illum, quem Plato illo loco depinxerit. De eodem vero censent illi patria expulso Platonem cogitasse, cum III, 691 C de tyrannorum auxilio omnino desperaverit. Quod absurdum esset Platonem hoc loco de tyrannis desperasse sed nihilo secius paullo post in eis summam posuisse spem: hanc difficultatem expedivimus, cum IV, IV ante III, 691 esse conscriptum docuerimus. Itaque Poehlmannum secutis fortasse licebit accuratius definire, quonam fere tempore singulae Legum partes sint compositae. Sed priusquam hanc rem persequimur, e re erit paucis disputare de Platonis quae feruntur epistulis, quippe quae maximi sint momenti ad Platonis cum Dionysio et Syracusanis commercium cognoscendum.

I. De Platonis quae feruntur epistulis, praecipue de VII.

Tredecim illis epistulis, quae in codicibus servatae sunt, idem fuit fatum atque reliquis Platonis quae feruntur operibus fere omnibus. A multis[3]) enim viris doctis Platoni abiudicatae sunt omnes. Recentissimis vero temporibus fuerunt, qui omnes fere genuinas esse contenderint, veluti Reinhold l. c. et Raeder l. c. Verum invenisse mihi quidem videtur Adam l. c., qui septimam genuinam, reliquas spurias esse censeat. Probaverunt enim viri

[1]) Untersuchungen über die platon. Briefe, diss. Hal. 1901, p. 33 sq.

[2]) Geschichte und System der platonischen Philosophie, 1839, p. 69.

[3]) cf. H. Reinhold, De Platonis epistulis, Quedlinburgii 1886, p. 6 sq.; R. Adam, Über die Echtheit der platonischen Briefe, wissenschaftl. Beilage zum Jahresber. des Falk-Realgymn. Berolini 1906, p. 4; H. Raeder in musei Rhenani vol. LXI., 1906, p. 428 sqq.

docti in hac epistula, neque quod ad sententias neque quod ad sermonem pertineat, inesse quidquam, quod Platoni non possit attribui.[1]) In reliquis vero epistulis inveniri haud pauca, quae a Platone abhorreant, mihi quidem videtur Adam demonstrasse.

Initio septimae epistulae certiores fimus Dione mortuo huius amicos familiaresque Platonem rogasse, ut in illo rerum discrimine consilium sibi daret. Consilium vero illis quasi obiter datur 330 C — 337 E; maiore epistulae parte copiose exponitur, quibus causis adductus et quo consilio tria sua in Siciliam itinera fecerit Plato: primum (324 A), cum quadragesimum fere egerit annum, alterum et tertium Dionysio I. mortuo (327 B sqq.). Itaque viri docti[2]) consentiunt Platonem falsos rumores de itineribus suis sparsos redarguere voluisse. Platonem igitur, cum Dionis familiares ab eo consilium petivissent, hac occasione usum esse, ut exponeret, quo modo factum esset, ut ea, quae Dionysio Dionique dedisset, consilia prospere non evenirent.[3]) Nempe eiusmodi defensione non tam opus erat adversus Dionis amicos, qui ne falsis rumoribus fidem haberent, minus erat timendum, quam adversus reliquos Syracusanos Atheniensesque, qui non ita cognitas haberent illas res. Itaque Adam p. 6 statuit epistulam illam idem fere esse, quod nos vocemus: offnen Brief. Commendatur haec sententia vel eo, quod duobus locis[4]) Plato Dionis familiares commemorans tertia utitur persona. Iuris publici igitur Plato fecit aut facere voluit hanc epistulam itaque non est mirum eam in reliquorum operum corpus esse receptam.

Ritter in appendice Legum commentario annexa, p. 367 sqq. demonstrare conatus est maiorem quidem epistulae partem genuinam esse, sed discipulum quendam Platonis ea, quae a magistro

[1]) cf. Raederum l. c., p. 435 sqq., 511 sqq.; Adamium l. c.

[2]) cf. Adamium p. 6; Odau, Quaestionum de septima et octava Platonis epistula capita duo, diss. Regimont. 1906, p. 11; Raederum l. c. p. 521.

[3]) Hoc se voluisse exponere Plato in exitu epistulae (352) indicat ipse, cum dicat: *ὧν δ᾽ ἐπανέλαβον ἕνεκα τὴν εἰς Σικελίαν ἄφιξιν τὴν δευτέραν, ἀναγκαῖον εἶναι ἔδοξέ μοι ῥηθῆναι δεῖν διὰ τὴν ἀτοπίαν καὶ ἀλογίαν τῶν γενομένων. εἰ δ᾽ ἄρα τινὶ νῦν ῥηθέντα εὐλογώτερα ἐφάνη καὶ προφάσεις πρὸς τὰ γενόμενα ἱκανὰς ἔχειν ἔδοξέ τῳ, μετρίως ἂν ἡμῖν καὶ ἱκανῶς εἴη τὰ νῦν εἰρημένα.* cf. 330 C: *τῶν ἐπανερωτώντων ἕνεκα, τί δὴ βουλόμενος ἦλθον τὸ δεύτερον.*

[4]) 334 C: *Ταῦτα εἴρηται πάντα τῆς ξυμβουλῆς ἕνεκα τῶν Διωνείων φίλων καὶ ξυγγενῶν.* 338 A: . . . *καθάπερ εἶπον πρὶν συμβουλεύειν τοῖς οἰκείοις καὶ ἑταίροις τοῖς περὶ Δίωνα.*

scripta invenisset, redegisse et quasdam partes (341—345) de suo addidisse. Atenim ita Ritter idem fecit, quod Brunsium de Legibus agentem fecisse iure ac merito vehementer vituperavit: quidquid non ita perspicuum vel minus elegans videbatur esse, quam quod Platoni posset attribui,[1]) id redactori attribuit.

Ritteri vestigia pressit M. Odau l. c., qui p. 32 hoc statuit: Platonem Dionis amicis consilium petentibus obsecutum scripsisse ea fere, quae 330 C — 337 E leguntur. Deinde vero Platonem seposuisse illa aliamque anno fere 352 Dionis amicis misisse epistulam; quam continuisse maiorem septimae quae fertur epistulae partem et octavam. Discipulum autem quendam Platone mortuo genuinam illam epistulam amplificasse in eamque inseruisse ea, quae antea separatim scripsisset Plato (330—337); octavam vero, quae nunc ferretur, epistulam a septima seiunxisse.

Octavam epistulam olim cum septima coniunctam fuisse Odau stabilivit hoc modo: Octavam epistulam per se ferri non posse ex primis epistulae verbis apparere: *ἃ δ᾽ ἂν διανοηθέντες μάλιστα εὖ πράττοιτε, ὄντως πειράσομαι ταῦθ᾽ ὑμῖν κατὰ δύναμιν διεξελθεῖν.* Sane in initio epistulae non exspectamus particulam *δέ* et omnino non potuit hoc modo incipere epistula. Atqui antecedunt verba *Πλάτων τοῖς Δίωνος οἰκείοις τε καὶ ἑταίροις εὖ πράττειν*, et cum ad hoc *εὖ πράττειν* refertur illud *μάλιστα εὖ πράττοιτε*, optime se habet oratio. Atenim Odau p. 53 sq. hoc modo coniungi posse illas sententias negat, quod ita oriatur adnominatio Platone amicis in summo rerum discrimine suadente prorsus indigna. Platone indignam esse hanc adnominationem prorsus concedo. Atqui ea adest; quis enim *μάλιστα εὖ* pro *ἄριστα* dixit nisi adnominationis causa? Quae cum ita sint, apparet octavam Platonis quae fertur epistulam in rhetoris alicuius officina esse ortam. Septimam vero ab ipso Platone talem esse compositam, qualis aetatem tulit, recte statuit Raeder l. c. p. 521.

Unum tamen recte observavit Odau p. 17 sqq.: illam epistulae partem (330—337), quam a Platone olim sepositam fuisse censet, separatim quondam scriptam videri esse. Habet enim haec pars, quae offendant, veluti id est mirum, quod 333 D Plato de tertio

[1]) cf. Ritterum p. 372: Dagegen ist von 341—345 manches recht langweilig. — De eis rebus, quae Ritterum immerito offenderunt, cf. Raederum l. c. p. 538 sqq.

itinere[1]) in Siciliam facto loquitur, quanquam 330 C indicavit hac de re tum demum sese esse dicturum, cum Dionis amicis consilium dedisset, id quod fit usque ad 337 E. Quae tamen difficultas facile expeditur, cum statuimus Platonem ea, quae 330 C sqq. leguntur, re vera misisse ad Dionis amicos. Praeterea autem, quidquid Syracusanis suasisset, optima fide se suasisse demonstrare voluit omnibus, et Atheniensibus et Syracusanis, et, ne celaret quidquam, illam quoque epistulam, quam Dionis amicis miserat, in defensionem suam recepit. Etiam totam eam epistulam, quae hoc modo orta est, ad Dionis amicos missam esse finxit. Duobus tamen locis (334 C, 338 A; cf. p. 40 huius dissert.) fictionem illam neglexit, qua ex re apparet ad illos t o t a m epistulam re vera non esse missam.

Sed haec hactenus. Fundamentum mihi videor iecisse, quo nisus adhibeam septimam epistulam in rebus Syracusanis exponendis.

II. Quae ratio intercedat inter vetustissimam Legum partem et Platonis cum Dionysio II. commercium.

Certiores fimus ep. VII., 327 B sqq. Dionysio I. mortuo Dionysium II. a Dione adductum rogasse Platonem, ut ad se veniret, Dionemque ipsum obtestatum esse Platonem, ut veniret, quia talis esset Dionysius atque ita tunc essent res, *ὥστε, εἴπερ ποτέ, καὶ νῦν ἐλπὶς πᾶσα ἀποτελεσθήσεται τοῦ τοὺς αὐτοὺς φιλοσόφους τε καὶ πόλεων ἄρχοντας μεγάλων ξυμβῆναι γενομένους* (328 A). Platoni autem consideranti dubitantique, essetne proficiscendum, eo inclinavit animus, ut periculum faciendum esse statueret (328 B sq.), itaque in Siciliam profectus est. Dionysius Platonem magis magisque in dies complectebatur; nec tamen a Platone tunc potuit adduci ad concupiscendam vitam philosopham (330 A sq.). Bello autem in Sicilia orto Plato domum revertit; sed convenit inter eum Dionysiumque, ut pace facta Plato Syracusas rediret (338 A sq.). Et facta pace Dionysius Platonem omni studio arcessebat (338 B, 330 C). Magna tunc ex Sicilia afferebatur fama de mirifico philosophiae, quo Dionysius arderet, studio; Dio quoque iterum a Platone petebat, ut ad Dionysium proficisceretur (338 B sq.). Plato rumoribus illis initio fidem non habebat. Cum vero iterum

[1]) Ad tertium iter spectare hunc locum apparet, cum hunc locum comparas cum eis, quae leguntur 346 A sqq.

iterumque ab Archyta aliisque affirmati essent (339 B, D), fidem eis habuit et tertium Syracusas profectus est (339 E sq.). Platonem tunc sperasse Dionysium philosophiae esse vacaturum ex eis verbis apparet, quae leguntur 339 E: *αὐτῷ δέ μοι ὑπῆν, ὡς οὐδὲν θαυμαστὸν νέον ἄνθρωπον παρακούοντα ἀξίων λόγου πραγμάτων, εὐμαθῆ, πρὸς ἔρωτα ἐλθεῖν τοῦ βελτίστου βίου.*

Ante tertium illud iter conscripta esse mihi videtur vetustissima Legum pars. Nam ad Dionysium spectare libri IV. caput IV. haud scio an negaverit nemo. Iuvenem enim et docili ingenio illum fuisse eo, quem modo exscripsi, loco Plato affirmavit ipse; iuvenis autem tyrannus docilisque illo quoque Legum loco ei ante oculos versatur: 709 E. Post tertium autem iter in Siciliam factum a Platone non potuit componi IV., IV.; nam gravissima tunc inter Platonem et Dionysium orta sunt discidia (349 E). Gravissima fuisse discidia illa ex eo quoque apparet, quod Dio de illis certior factus Platonem amicum impulit, ut secum a Dionysio decepti hospitii poenas expeteret (350 B sq.).

Quodsi, post quem terminum scripta sit prima Legum pars, quaerimus, proficiscendum est ab eis, quae Atheniensis 711 A facit, verbis: *ὑμεῖς δὲ τάχα οὐδὲ τεθέασθε τυραννουμένην πόλιν.* Cliniae cupidum se esse spectandi neganti Atheniensis respondet: *Καὶ μὴν τοῦτό γ᾽ ἂν ἴδοις ἐν αὐτῇ*, sc.: facile a tyranno mutari posse sive in bonam sive in malam partem civium mores. Apparet Platonem hoc loco ad unum ex Siciliensibus itineribus suis spectare. Atqui de primo itinere cogitari mea quidem sententia non potest. Huius itineris mentionem fecit, cum in Politia 577 A sq. fidem habendam esse ei contendit, qui et iudicare posset et cum tyranno commercium habuisset ipse.[1]) Ea autem, quae in Politia de tyranno et tyrannide proferuntur, talia esse, ut boni a tyranno sperandum videatur nihil, quicumque Politiam perlegit, non ignorat. Itaque, cum ea, quae in civitate tyranno subiecta se vidisse Plato dicit Leg. IV, IV, multo meliora sint quam ea, quae in Politia exposita sunt, fieri non potest, quin illum locum (711 A) ad secundum Platonis iter spectare statuamus,[2]) quo itinere etiamsi non ad eum, quem sibi proposuerat, finem pervenerat

[1]) Ea, quae in Politia de tyrannis proferantur, ad Dionysium I. spectare statuerunt Hermann l. c., p. 62 sq., Sill l. c., p. 31.

[2]) cf. Susemihlium l. c., p. 560.

Plato, sc. ut philosophum redderet Dionysium (ep. VII, 330 A sq.), tamen non omnino de Dionysio desperaverit (cf. ep. VII, 339 E).

Tum, cum Politiam composuit, Plato nondum habuisse videtur certam quandam efficiendi philosophorum imperii spem, id quod concluserim ex verbis (499 C) *Eἰ τοίνυν ἄκροις εἰς φιλοσοφίαν πόλεώς τις ἀνάγκη ἐπιμεληθῆναι ἢ γέγονεν ἐν τῷ ἀπείρῳ τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἢ καὶ νῦν ἔστιν ἔν τινι βαρβαρικῷ τόπῳ, πόρρω που ἐκτὸς ὄντι τῆς ἡμετέρας ἐπόψεως, ἢ καὶ ἔπειτα γενήσεται, κτλ.* Tum vero, cum primam Legum partem conscripsit, certa ei erat spes efficiendi illius imperii. Effici autem posse videbatur in urbe, cui tyrannus praeesset. Quid mirum, si Leg. IV, IV tyranni notio vituperatione illa caret, quam habuit, ubicumque in Politia adhibita est. In Politia enim, ut dixi, tyrannus per se nequissimus esse videtur Platoni,[1] ita ut omnium civitatum miserrima sit ea, cui tyrannus praesit: 576 E. Itaque tyranni notio non modo ad rei publicae formam pertinet sed etiam moralem quandam habet vim, quam ante Platonem non habuit.[2] Cum vero Dionysium II., qui ipse erat tyrannus, philosophiae vacaturum esse speravit, Plato moralem illam vim vocabulo illi iam non attribuit, immo IV, IV tyranni et tyrannidis notiones ad solam rei publicae formam spectant, id quod vel ex eo apparet, quod tyrannum Plato optat multis virtutibus praeditum (709 E). Ipse concedit proferre se ita aliquid, quod cum pristina sententia sua pugnet; etenim, postquam tyrannum Atheniensis optavit, Clinias exclamat (710 C): *Πῶς δὴ καὶ τίνι λόγῳ τοῦτο, ὦ ξένε, λέγων ἄν τις ὀρθῶς λέγειν αὐτὸν πείθοι;* Postea vero Plato de tyrannorum auxilio desperavit atque ad pristinam sententiam suam rediit, ita ut in posterioribus Legum partibus tyranni notioni eadem atque in Politia attributa sit vis moralis; cf. huius dissert. p. 14.

Haec ubi statuimus, intellegimus, quid sibi velint illa verba, quae Atheniensis 708 E facit: *ἔοικα περὶ νομοθετῶν ἐπανιὼν καὶ σκοπῶν ἅμα ἐρεῖν τι καὶ φαῦλον· ἀλλ᾽ ἐὰν πρὸς καιρόν τινα λέγωμεν, πρᾶγμ᾽ οὐδὲν γίγνοιτ᾽ ἂν ἔτι.* Sequenti oratione Atheniensis exponit, quid videatur dicturus: nullum unquam hominem sancire quidquam, sed fortunas fere esse res humanas omnes. Hanc vero sententiam statim refutat censetque etiam hominum

[1] In Politico (301 C) quoque tyrannorum propriae sunt libido et ignorantia.

[2] cf. Zellerum in annal. acad. Berol. 1887, II, p. 1137 sqq., Sillium p. 25 sq.

artem certis quibusdam occasionibus datis magni esse momenti. Uberius deinde, qua occasione data legislator artem suam optime possit adhibere, explicatur (709 E sqq.): cum urbs ei tradatur, cui tyrannus praesit. Nempe ad eandem hanc occasionem Plato spectat verbis *ἐὰν πρὸς καιρόν τινα λέγωμεν.* Ritter p. 106 sq. duplici modo haec verba intellegi posse censet: aut ea hoc modo interpretanda esse: „Wenn wir unsere Theorie ausführen zum Zweck der Verwendung in einem günstigen Augenblick“, in Erwartung, daß eben einmal *διὰ τύχης* (709 D) die Macht mit der Weisheit sich vereinige, aut hoc modo: Wenn wir uns jetzt eben in der Annäherung an einen günstigen Zeitpunkt befinden, indem wir unsere Sätze aufstellen. Utroque modo illa verba eundem fere habent sensum: Exspectat Plato occasionem illam, qua opus sit, ut legislator arte sua plurimum possit efficere, a fortuna datum iri; qua data timendam iam non esse legislatori magnam fortunae vim (*πρᾶγμ᾽ οὐδὲν γίγνοιτ᾽ ἂν ἔτι*).[1] Recte autem intellegitur, ut supra dixi, hoc enuntiatum nunc demum, ubi, quo tempore hoc caput scriptum sit, docuimus. Cogitavit enim Plato de tertio suo itinere Siciliensi mox faciendo atque speravit Dionysium tyrannum philosophiae vacaturum esse, qua occasione data non esset opus nisi legislatoris — sc. Platonis ipsius[2] — arte. Neque vero Platoni a fortuna occasio illa data est, itaque in epistula VII., 337 D, postquam, quid cum Dionysio voluerit efficere, exposuit Plato, maestus addit: *τύχη δέ τις ἀνθρώπων κρείττων διεφόρησε.*

De tertio suo itinere mox faciendo cogitare mihi videtur Plato alio quoque primae Legum partis loco: 627 E sqq. In septima enim epistula, 333 D Plato, ad tertium[3] haud dubie iter spectans, Syracusas se profectum esse dicit, ut pacem amicitiamque pro bello faceret inter Dionem, amicum suum e patria expulsum, et Dionysium. In Legibus autem l. c. Plato exponit discidiis inter cognatos exortis e medio tollendum esse nullum, immo gratiam reconciliandam atque leges ferendas esse, quibus oboedientes cognati illi in posterum tempus amici sint. Eodem modo legislatori operam esse navandam, ut pacem atque amicitiam faciat inter cives (628 B). Versatur igitur Platoni ante oculos civitas secum

[1] cf. Ritterum p. 107.

[2] cf. Sillium p. 34.

[3] cf. huius dissert. p. 42 adn.

ipsa discors et eiusdem modi familia. Mirum fortasse videtur Platonem cognatos discordes *legibus dandis* velle reconciliare. Sed hoc quoque intellegitur, cum meminerimus, quo consilio tertium Syracusas profectus sit Plato: sperabat fore, ut legibus datis amicitia inter se coniungerentur cum omnes Syracusani tum Dionysius et Dio neque iam Dionysius Dionis aut Dio Dionysii insidias metueret.

III. Quae ratio intercedat inter Legum librum III. et res Siculas.

Demonstravimus Platonem Leg. IV, IV summam spem in Dionysio II. posuisse. Evanuit autem illa spes (ep. VII., 337 D). Quae cum ita sint, Poehlmanno assentiemur, qui propter Dionysium de optima re publica efficienda Platonem desperasse — sc. in posterioribus Legum partibus —, l. c. I, p. 481 censuit et p. 482 haec dixit: Es liest sich wie ein elegischer Rückblick auf die bekannten Geschicke Dionys des Zweiten und seines Verhältnisses zu Dion, wenn es in den „Gesetzen“ (III, 691 C) heißt: „Es gibt keine sterbliche Seele, die jung und in unverantwortlicher Machtstellung stark genug wäre, die höchste Gewalt unter den Menschen zu ertragen, ohne von Unvernunft ergriffen und dadurch selbst den nächsten Freunden verhaßt zu werden, was dann die unvermeidliche Folge hat, daß der Herrscher in kurzer Zeit zugrunde gerichtet und seine Macht zerstört wird.“ Atqui eadem atque 691 C sententia indicatur 692 B atque similia proferuntur IV, 716 A sq.: *εἰ δέ τις ἐξαρθεὶς ὑπὸ μεγαλαυχίας ἢ χρήμασιν ἐπαιρόμενος ἢ τιμαῖς ἢ καὶ σώματος εὐμορφίᾳ ἅμα νεότητι καὶ ἀνοίᾳ φλέγεται τὴν ψυχὴν μεθ᾽ ὕβρεως, ὡς οὔτε ἄρχοντος οὔτε τινὸς ἡγεμόνος δεόμενος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἱκανὸς ὢν ἡγεῖσθαι, καταλείπεται ἔρημος θεοῦ, καταλειφθεὶς δὲ καὶ ἔτι ἄλλους τοιούτους προσλαβὼν σκιρτᾷ ταράττων πάντα ἅμα, καὶ πολλοῖς τισιν ἔδοξεν εἶναι τίς, μετὰ δὲ χρόνον οὐ πολὺν ὑποσχὼν τιμωρίαν οὐ μεμπτὴν τῇ δίκῃ ἑαυτόν τε καὶ οἶκον καὶ πόλιν ἄρδην ἀνάστατον ἐποίησεν.* Postremo haec sententia iteratur IX, 875 B sq. Hi quoque loci ad Dionysium praecipue spectant haud dubie, et quod extremo illo loco Plato addit (875 D) hominem rerum potitum bonas iustasque res non posse colere nisi parumper (*ἀλλ᾽ ἢ κατὰ βραχύ*), manifestum est ad Dionysium spectari, qui per exiguum temporis spatium philosophiae vacaverit, sc. ante tertium Platonis

iter (ep. VII., 338 B sqq.). Ex multitudine autem horum locorum ad Dionysium spectantium apparet, quam graviter Plato spem illam deceptam tulerit.

Atqui non illi tantum loci ad Dionysium spectare mihi videntur, sed totus fere liber III, quo iterum quaerit Plato, quae optima sit rei publicae forma. Per totum fere hunc librum contendit: *ὡς ἄρα οὐ δεῖ μεγάλας ἀρχὰς οὐδ᾽ αὖ ἀμίκτους νομοθετεῖν* (693 B). Ad stabiliendam hanc sententiam inde a 683 C copiose de Lacedaemoniorum, Argivorum, Messeniorum civitatibus agit atque demonstrat Messeniorum Argivorumque regna ea de causa perisse, quod eorum legislatores nimia potestate reges instruxerint (692 B). Saepe autem Plato monet eas, quae hoc libro proferantur, sententias non modo ratione sed etiam rebus factis probari. Quibus ex locis unum diligentius contemplemur: 683 E sq. Plato exponit rei publicae formam non mutari nisi eis ipsis, qui imperium teneant, auctoribus: *Βασιλεία δὲ καταλύεται, ἢ καί τις ἀρχὴ πώποτε κατελύθη μῶν ὑπό τινων ἄλλων ἢ σφῶν αὐτῶν; ἢ νυνδὴ μὲν [ὀλίγον ἔμπροσθεν]*[1]) *τούτοις περιτυχόντες τοῖς λόγοις οὕτω ταῦτ᾽ ἐτίθεμεν, νῦν δ᾽ ἐπιλελήσμεθα; . . . Οὐκοῦν νῦν δὴ μᾶλλον βεβαιωσόμεθα τὸ τοιοῦτον· περιτυχόντες γὰρ ἔργοις γενομένοις, ὡς ἔοικεν, ἐπὶ τὸν αὐτον λόγον ἐληλύθαμεν.*

Ac primum quidem quaerendum est, ubinam antea Plato sententiam illam protulerit. In Legibus id non esse factum recte observavit Bruns p. 66. Sed prolata est illa sententia in Politia 545 C sq.: *ἢ τόδε μὲν ἁπλοῦν, ὅτι πᾶσα πολιτεία μεταβάλλει ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔχοντος τὰς ἀρχάς.* Haec igitur sententia, quae in Politia ratione tantum probata erat (*περιτυχόντες λόγοις*), etiam rebus factis (*περιτυχόντες ἔργοις*) probata esse Platoni videbatur tum, cum tertium Legum librum composuit.[2]) Probari autem ei videbatur Messeniorum Argivorumque regum interitu (684 A sqq.). Atqui satis mirum est tum demum Platonem sensisse sententiam suam illa re probari. Itaque Platonem copiosam illam de Messeniorum Argivorumque regibus quaestionem nulla alia de causa instituisse censeo, nisi ut, quid ex Dionysii vita concludi posset, exponeret;

---

[1]) Addita esse haec verba ad interpretandum vocabulum *νυνδή* docuit Cobet, var. lect.² p. 233 sq.

[2]) Quod ita in altero dialogo alterius fit mentio, sane satis mirum est; sed alio quoque Legum loco id fit, ut docui p. 19.

reges illos dicit, Dionysium dissimulat, ut Apulei (apol. X) utar verbis.

Stabilitur haec sententia, cum reputemus, qua de causa illos reges interisse dicat Plato. Praecipue ob ignorantiam (*ἀμαθίᾳ*) eos interisse censet 688 C. Ignorantiae autem notionem definit Plato 689 A hoc modo: maximam esse ignorantiam, cum aliquis id, quod pulchrum vel bonum ei visum sit, non amet sed oderit, quod ei pravum et iniustum esse videatur, amet atque amplectatur. *ταύτην*, inquit, *τὴν διαφωνίαν λύπης τε καὶ ἡδονῆς πρὸς τὴν κατὰ λόγον δόξαν ἀμαθίαν φημὶ εἶναι τὴν ἐσχάτην.* Eiusmodi ignorantia laborantibus negat 689 C—E committendam esse potestatem ullam, quamvis sint sagaces; nam domus suae eversores eos fore civitatisque minime servatores. Contra eos, qui illa ignorantia non laborent, praeficiendos esse magistratibus, etiamsi nec literas nec natare sciant. Hac igitur ignorantia illos reges laborasse Plato dicit 691 A. Eadem vero laborasse Dionysium II. Plato in ep. VII, 332 D exponit, quem locum conferas velim cum Leg. 691 A:

Leg. 691 A: *οὐ ξυνεφώνησαν αὐτοῖς, ἀλλὰ ἡ διαφωνία... πάντ' ἐκεῖνα ... διέφθειρεν.*	ep. VII, 332 D Plato narrat iussisse se Dionysium: *φίλους ἄλλους αὐτῷ ... συμφώνους πρὸς ἀρετὴν κτήσασθαι, μάλιστα δ' αὐτὸν αὐτῷ, τούτου γὰρ αὐτὸν θαυμαστῶς ἐνδεᾶ γεγονέναι.*

Ad Dionysium spectat denique 688 E: *Φαμὲν . . . τὴν μεγίστην ἀμαθίαν τότε ἐκείνην τὴν δύναμιν ἀπολέσαι καὶ νῦν ταὐτὸν τοῦτο πεφυκέναι ποιεῖν.*

Non minus dilucide ad Dionysium spectat Plato, cum inde a 694 C Persarum regum exemplo usus exponit, quo modo fiat, ut principum filii plerumque homines nequam sint. Demonstrat enim et Cambysem (694 D sqq.) et Xerxem (695 D sq.) ea de causa factos esse nequam, quod patres propter bellorum multitudinem filiorum educationem neglexissent mulieribusque mandassent. Nonne mirum in modum hoc congruit cum eis, quae de Dionysii II. educatione ep. VII, 332 C sq. dicit Plato: a patre ei ita accidisse, ut neque eruditione neque consuetudine, qua par fuerit, usus sit? Praecipue vero cum Dionysii II. vita ac moribus optime congruunt ea, quae 695 B de Cyri filiis narrantur: *ὅθεν ἐγένοντο οἵους ἦν αὐτοὺς εἰκὸς γενέσθαι, τροφῇ ἀνεπιπλήκτῳ τραφέντας. παραλαβόντες*

δ' οὖν οἱ παῖδες τελευτήσαντος Κύρου (τὴν ἀρχήν, γενόμενοι inserendum videtur) *τρυφῆς μεστοὶ καὶ ἀνεπιπληξίας, πρῶτον μὲν τὸν ἕτερον ἅτερος ἀπέκτεινε*[1]) *τῷ ἴσῳ ἀγανακτῶν, μετὰ δὲ τοῦτο αὐτὸς μαινόμενος ὑπὸ μέθης*[2]) *τε καὶ ἀπαιδευσίας τὴν ἀρχὴν ἀπώλεσεν.*

Quodcum Susemihl l. c. p. 653 de tertio Legum libro hoc tulerit iudicium: Platonem res gestas ad suum arbitrium[3]) enarrare, quod cur fecerit, non intellegatur: nos, cur Plato id fecerit, intellegimus; etenim regum illorum nominibus utitur ad Dionysii enarrandam vitam, quam sententiam vix opus est pluribus argumentis stabilire.

Iam videamus, quae tunc Platoni optima esse visa sit rei publicae forma. Statuit (693 B etc.) non esse magnam uni homini committendam potestatem, quam philosopho illi regi committi in Politia voluerat. Neque vero minus quam extremam monarchiam etiam tunc Plato oderat extremam democratiam. Exponit autem et Persarum et Atheniensium olim civitates bene esse administratas: tum, cum Persae monarchiae, Athenienses democratiae modum tenuerint.[4]) Sed fieri non potuisse demonstrat (694 A sqq.), quin in utraque civitate rei publicae forma ad extremum progrederetur, sicut antea iam exposuerat (692 B) Messeniorum Argivorumque monarchias ad extremum progressas esse ea de causa, quod legislatores regibus nimiam potestatem tradidissent. Veram autem rem publicam ei videntur habere Lacedaemonii; quorum legislatores verum tenuisse modum atque providisse, ne una in extremum progrederetur rei publicae forma, cum non modo regum potestatem in duas partes partiti sint sed etiam senatum ephorosque instituerint (691 D sqq.); hoc modo Lacedaemoniorum regnum, temperatum, ex quibus debuerit, modumque adeptum, cum ipsum esse servatum tum civibus fuisse saluti. Summis laudibus Lacedaemoniorum rem publicam effert Plato, veluti 692 B exclamat: *νῦν δ' ὁ θεὸς ἔδειξεν, οἵαν ἔδει καὶ δεῖ δὴ τὴν μενοῦσαν μάλιστα ἀρχὴν γίγνεσθαι.* 693 D unamquamque contendit rem publicam necesse esse et monarchiae et democratiae participem esse.

---

1) Dionysium II. idem fecisse auctores sunt Justinus XXI, 1, 6 sq. et Aelianus v. h. VI, 12.

2) cf. Aristotelis frgm. 546 (ed. acad. Berol.), Aelianum l. c., qui Theopompum sequitur, Justinum XXI, 2.

3) „Mit einer unglaublichen pragmatisierenden Willkür."

4) 693 E sqq., cf. praecipue 701 E.

Atqui Plutarchus in Dionis vitae cap. 53 memoriae hoc tradidit: *Ἐπενόει δὲ* — sc. Dio — *τὴν μὲν ἄκρατον δημοκρατίαν, ὡς οὐ πολιτείαν, ἀλλὰ παντοπώλιον οὖσαν πολιτειῶν, κατὰ τὸν Πλάτωνα κωλύειν, Λακωνικὸν δέ τι καὶ Κρητικὸν σχῆμα μιξάμενος ἐκ δήμου καὶ βασιλείας ἀριστοκρατίαν ἔχον τὴν ἐπιστατοῦσαν καὶ βραβεύουσαν τὰ μέγιστα καθιστάναι καὶ κοσμεῖν.* Hunc locum Plutarcheum cum comparamus cum eis, quos modo e Legum libro III attuli, locis, maxima patet similitudo: veram rem publicam compositam esse ex democratia et monarchia (Leg. 693 D); accedere debere aristocratiam quandam, veluti senatum (Leg. 691 E sq.); Lacedaemoniorum denique Cretensiumque rem publicam esse aemulandam (Leg. 693 E). Gomperz[1]) primus, quantum scio, hanc similitudinem animadvertit. Raeder[2]) censuit rationem quandam intercedere inter Platonis Leges Dionisque consilia. Sane negari hoc vix potest, sed accuratius dicendum est rationem quandam intercedere inter Legum l i b r u m t e r t i u m Dionisque consilia atque timeo, ne immerito vir doctus in Musei Rhen. vol. LXI p. 529 sq. contenderit Platonem totum Legum opus destinasse Dioni.

Dioni se consilia dedisse Plato affirmat ipse in epistula VII, cum hoc dicat (337 D): *ταῦτα γάρ ἐστιν ἀδελφὰ ὧν τε Δίων ὧν τ' ἐγὼ ἐπεχειρήσαμεν Συρακούσαις εὖ φρονοῦντες συμπρᾶξαι.* Addit Plato hoc consilium Dioni datum secundum fuisse eorum consiliorum, quae Syracusanis dederit; primum fuisse illud, quod Dionysio dederit. Quidnam Dioni suaserit, Plato non dicit; nec tamen est, quod Plutarcho fidem denegemus, quoniam tertius Legum liber, quem Dionysio expulso scriptum esse intelleximus, cum illo prorsus congruit. Cum eodem consentit octavae Platonicae quae fertur epistulae auctor. Qui inde a 355 A Dionem mortuum familiaribus, quid faciant, dubitantibus suadentem facit idem, quod olim efficere ille voluerit ipse (cf. 357 A); suadentem autem Dionem facit (355 E sqq.), ut Syracusani tres creent reges, quibus non ita magna tradenda sit potestas. Quod Dionem tale quid olim efficere voluisse 357 A contendit huius epistulae auctor, sicut Plutarchus ex optimo quodam fonte videtur hausisse; quod Dione mortuo Platonem eadem Dionis familiaribus suasisse fingit, id de

---

[1]) Griech. Denker II p. 431.

[2]) Platons philos. Entw. p. 405; cf. Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V p. 520 sq.

suo addidit;[1]) intellegemus enim Platonem Dione mortuo huius amicis longe alia suasisse.

Quae cum ita sint, statuimus Legum librum III tum esse scriptum, cum Dionysio expulso Dio anno fere 354[2]) rerum potitus Syracusanorum rem publicam reformare conatus sit, atque ad huius consilia spectare. De optima re publica efficienda tunc Plato desperaverat adquievitque fere in Lacedaemoniorum re publica efficienda. Ad aliam igitur de re publica pervenit sententiam atque in Politia habuit. Quid mirum, si 683 B disputationem de re publica quasi de integro instituit?[3]) Neque Brunsio concedemus (p. 172 sq.) verba *ἐὰν ἐπιχειρήσωμεν τὸ δεύτερον τῇ τῆς νομοθεσίας σκέψει* (683 C) Philippum redolere; immo hoc *τὸ δεύτερον* optime convenit cum *δεύτερα μήν*, quod ep. VII, 337 D legitur, postquam Platonis Dionisque consilia ad rem publicam Syracusanorum pertinentia commemorata sunt.

Addit autem Plato eis bonis, quae ei in prima Legum parte praecipue videbantur opus esse ad beatos reddendos cives, in libro III, ubi, quo modo beata fieret civitas (683 B), iterum quaerebat, libertatem: 693 B sqq., 701 D. Nam trium earum, quas his locis affert, rerum duas iam attulit antea: *φιλίαν* et *φρόνησιν* (I, 628 B sq., 631 B sqq.), non ita libertatem. Vera autem libertas coniuncta cum reliquis illis bonis effici atque servari ei videtur, cum res publica (693 D sq.) Lacedaemoniorum in modum ex monarchia et democratia composita est.

Platonem tertio libro Doriensium commendare instituta satis mirum videtur ei, qui meminit, quo modo de illis Plato iudicaverit priore primi libri parte. Nam ibi, sicut in Politia 544 C sqq., minime illorum instituta probaverat; immo neque vera fortitudine neque vera temperantia Dorienses exerceri demonstraverat. Sane eundem III, 696 A sq. plurimi a Lacedaemoniis temperantiam aestimari contenturum esse non exspectamus. Meminerimus vero Platonem tum, cum librum III. scripsit, desperasse de efficienda

---

[1]) Ea, quae ab huius epistulae auctore Syracusanis suadentur, plerumque ad verbum fere cum Legibus congruunt adeo, ut ipsa nimia congruentia suspicionem moveat; itaque etiam Ritter p. 376 concedit hanc epistulam falsario fortasse esse attribuendam. Dionem autem loquentem falsarius iste fecit, quoniam illum imitari amicos iusserat Plato in genuina epistula (336 C).

[2]) cf. Meyerum l. c. p. 519.

[3]) *ταῦτα δὴ πάλιν οἷον ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν λεκτέον.*

optima re publica. Itaque de eis quoque, quae illius civitatis propriae erant, virtutibus efficiendis desperavit descenditque, ut supra exposui, ad vulgares virtutum notiones, ita ut temperantia iam non esset totius animi harmonia ut in Politia primaque Legum parte, sed continentia quaedam insita hominibus et innata[1] (710 A). Haec vero temperantia reliquaeque virtutes vulgares apud Lacedaemonios inveniri videbantur Platoni. Itaque Doriensium rem publicam, quae in Politia 544 C sqq. secundum tenere locum multisque malis plena esse ei erat visa, admodum laudavit Leg. III Dionique commendavit (cf. Plut. l. c.). Quae cum ita sint, non mirum est ea, quae posterioribus Legum libris Plato proponit, instituta publica similiora etiam esse Doriensium quam ea, quae Politia proposuit.[2] Quamquam ne tunc quidem Plato fuit laconista, ut ita dicam, cui Lacedaemone optime constituta viderentur omnia,[3] sed quasdam res melius quam apud Dorienses constitui posse censet[4] atque haud pauca, quae proposuit, instituta similia sunt Atheniensium legum.[5]

Quodsi ea, quae adhuc attuli, satis non videntur esse ad intellegendam nimiam illam acerbitatem, qua Plato in priore primi libri parte de Doriensium legibus iudicium tulerit; nam ut exemplum afferam, Doriensium virorum syssitia, quae optime se habere censet ipse 780 E, multorum vitiorum causas esse contendit I, 636 B sqq.: meminerimus paullo ante tertium iter a Platone in Siciliam factum hunc locum esse conscriptum, i. e. ante annum 361.[6] Tunc vero Lacedaemoniis graviter insistebant Thebani. Hac de causa Plato videtur prima Legum parte Lacedaemoniorum instituta tam vehementer vituperasse, ita ut etiam veram fortitudinem eis omnino abiudicaverit. Iam vero ad res Siculas redeamus.

---

[1]) In prima Legum parte Plato censuerat ipsis legibus temperantes reddendos esse cives, i. e. educatione; cf. 631 B sqq.

[2]) cf. Susemihlium p. 625.

[3]) cf. Xenophontis librum de re publica Lacedaemoniorum X, 4.

[4]) 781 A, cf. 804 D sqq., 806 C; 836 B.

[5]) cf. Susemihlium p. 627 sq.

[6]) cf. Adamium l. c. p. 7 sq.

IV. Quae ratio intercedat inter Legum libros IV sqq. et res Siculas.

Per exiguum temporis spatium Dio imperium obtinuit; nam anno 353[1]) Callippo, Platonis discipulo, auctore a sicariis interfectus est, ita ut iterum everterentur omnia (ep. VII, 336 B sq.). Tum Dionis familiares consilium a Platone petiverunt, qui ad eos, ut supra dixi, septimam quae fertur epistulam misit. Expressis verbis illos affirmat esse tertios, quibus consilium de rebus Siculis dederit,[2] censetque tunc ab integro esse incipiendum tertium.[3]

Desperavit autem Dione mortuo Plato de Syracusanorum re publica corrigenda. Etenim Dionis familiaribus suadet (ep. VII, 331 C sq.), ne per vim conentur rem publicam mutare in ea civitate, quae meliorem rem publicam facile accipere nolit. Itaque de hac re Dionis amicis consilia non dat, nisi quod eos monet (336 C), ut Dionis erga patriam benevolentiam imitentur. Ex eis, quae Dio iam habuerit, quae amicis ad finem perducenda sint, consiliis de uno tantum agit: per totam Siciliam colonias esse condendas (336 C sqq.; cf. 336 A sq., 332 E). Quam ad rem non quemlibet hominem esse admittendum, sed eos esse advocandos, qui Dorice vivere more patrio possint (336 C).

Atqui Legum quoque libris IV—XII coloniam condit Plato. Admodum autem congruunt ea, quae in epistula proferuntur, cum illis Legum libris. Ac primum quidem (in epistula) eis locis, quibus coloniae condendae sunt, olim fuerunt oppida;[4] eodem modo in Legibus Plato fingit eo loco, quo colonia condenda sit, olim Magnetum fuisse oppidum (848 D, 919 D, 946 B). Deinde, sicut ep. VII, 336 C, ita in Legibus quoque non quilibet homo admittitur; dicit enim Plato IV, 707 E: *Οὐ γάρ που τὸν βουλόμενόν γε Ἑλλήνων συνάγετε.* Observavit autem Ritter p. 106 eosdem ad coloniam condendam advocari in epistula VII. atque in Legibus. In epistula enim coloni advocantur (336 D) *ἔκ τε αὐτῆς Σικελίας καὶ ἐκ Πελοποννήσου ξυμπάσης, φοβεῖσθαι δὲ μηδὲ Ἀθήνας.* In Legibus vero de colonis admittendis Plato hoc dicit (708 A): *Ἔκ τε Κρήτης*

---

[1]) cf. Meyerum l. c. p. 522.

[2]) 334 C: *ξυμβουλεύω . . . λόγον τὸν αὐτὸν λέγων ἤδη τρίτον τρίτοις ὑμῖν.* cf. 334 D.

[3]) 336 C: *νῦν δὲ δὴ εὐφημῶμεν . . . τὸ τρίτον.* cf. 337 D sq.

[4]) 332 E: *εἰ τὰς ἐξηρημωμένας Σικελίας πόλεις κατοικίσειε.*

ξυμπάσης ἔοικεν γενήσεσθαι (sc. *στρατόπεδον τῶν πολιτῶν*), *καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μάλιστά μοι φαίνονται τοὺς ἀπὸ Πελοποννήσου προσδέξασθαι ξυνοίκους.* Atheniensis quoque ille hospes in exitu Legum (969 C sq.) a Clinia Megilloque rogatur, ut coloniae condendae intersit. Itaque eidem coloniam condunt in Legibus, qui in epistula, nisi quod in Legibus pro Sicilia insula Siculisque Creta insula Cretensesque sunt dicti.

Deinde, ne seditionibus discindantur coloniae, Plato in epistula hoc suadet (337 B sq.): *τοὺς δὴ κρατήσαντας ἀεὶ χρὴ . . . αὐτοὺς ἐν αὐτοῖς ἄνδρας προκρῖναι τῶν ἄλλων οὓς ἂν πυνθάνωνται ἀρίστους ὄντας, πρῶτον μὲν γέροντας . . . τούτους δὲ . . . οἴκοθεν μεταπέμπεσθαι, μεταπεμψαμένους δὲ ὀμόσαντας δεῖσθαι καὶ κελεύειν θεῖναι νόμους.* Hic locus non aliter potest intellegi nisi hoc modo: colonorum eis, qui praevaleant, ex patria senes esse arcessendos legum ferendarum causa. Simili modo in Legibus (754 A sqq.) Cnosii, quorum ex oppido plurimi colonorum veniunt, sunt arcessendi, ut magistratus secundum leges constitui curent, quo facto Cnosiis illis in patriam revertendum est (754 D). Quos cum adiuvare debeant colonorum natu maximi praestantissimique (754 C), apparet Cnosios quoque illos vetustos praestantesque esse debere ipsos, sicut illos, quos arcessi in epistula iussit Plato, legislatores. Congruentia igitur patet, ut recte observavit Ritter p. 369 sq. Nec tamen talis illa est, ut suspicio moveatur. Nam in Legibus centum arcessuntur Cnosii (754 C) in coloniam, quae quinque milia quadraginta habet focos (745 C); in epistula vero civitati decem milium virorum satis esse quinquaginta docemur 337 C;[1]) accedit, quod Cnosiis non leges ipsae sunt dandae ut illis, qui in epistula arcessiti sunt, sed curandum est primos magistratus secundum ea, quae in Legibus dantur, praecepta constitui.

Iam ad gravissimam similitudinem pervenimus, quae exstat inter epistulam VII. et Legum partem posteriorem inde a libro IV. Utroque enim loco monarchiam Plato omnino abiecit.

Exposuimus supra Platonem in tertio Legum libro rem publicam ex monarchia et democratia componi voluisse atque eandem rei publicae formam Dioni commendasse. Stabiliverat autem sententiam suam rebus gestis inde a civitatum principiis

[1]) Quae de his numeris disputavit Ritter l. c., sunt falsa; cf. Raederum in Mus. Rhen. LXI, p. 525 adn. 1.

primaque origine[1]) contemplandis. Atqui in quarto libro inde a 712 B Plato quaerit, quae rei publicae forma coloniae, quam conditurus sit, conveniat. Exspectaveris eam, quae in libro III. summis laudibus elata sit, formam institutum iri. Neque vero id fit; immo IV, 713 A sqq. retractatur illa quaestio, quae optima sit res publica. Describit autem Plato rerum quendam statum, qui multo antiquior esse dicatur quam ea, quae tertio libro narrata sint. Exponit Saturno quidem regente beatam olim homines egisse vitam, quod Saturnus reges eis praefecerit genios non homines. Quem statum omni modo esse ita imitandum (713 E sq.), ut legibus obtemperetur. Itaque magistratus ministros legum esse debere imperiaque eis esse tradenda, qui latis legibus oboedientissimos se praestiterint, roboris aut divitiarum aut generis ratione habita nulla (715 B sq.). Quae cum ita sint, ne illud quidem, quod Lacedaemonii habebant, regnum habet locum, quoniam genere prorsus neglecto imperia magistratusque assignantur. Quid mirum, si deinde, cum libro VI. magistratus instituuntur, monarchiae sive regni ne vestigium quidem invenitur? Hoc iam Aristoteles sensit, qui dicit Politic. 1266 A 5: *ἔπειτ᾽ οὐδ᾽ ἔχουσα φαίνεται μοναρχικὸν οὐδέν, ἀλλ᾽ ὀλιγαρχικὰ καὶ δημοκρατικά.* Itaque ipse Plato impugnat eam sententiam, quam libro III. defenderat: rem publicam ex monarchia et democratia esse componendam. Uno quidem loco (756 E) rem publicam contendit medium tenere necesse esse inter unius et populi imperium, atque Susemihl l. c., p. 632 hoc loco nititur, ut discrepantiam illam expediat; dicit autem hoc: Auch spricht Platon in den Gesetzen nicht sowohl von einer Mischung aus, sondern von einer Mitte zwischen beiden (sc. rei publicae formis) o d e r   m e i n t   d o c h   w e n i g s t e n s   i n   W a h r h e i t   n u r   d a s   l e t z t e r e. Minime vero probanda est haec sententia: Platonem iam III, 693 D de re publica cogitasse, quae medium teneat inter monarchiam et democratiam nec tamen ex utraque forma sit composita; immo statuendum est verba *δεῖ δὴ οὖν καὶ ἀναγκαῖον μεταλαβεῖν ἀμφοῖν τούτοιν* (sc. monarchiae et democratiae) ita esse intellegenda, ut Plato rem publicam ex utraque forma componendam esse contenderit — nisi forte cum Susemihlio censes Platonem scribendi adeo fuisse imperitum, ut, quid sentiret, non potuerit verbis dicere.

[1]) cf. 676 A: *πολιτείας δὲ ἀρχὴν τίνα ποτὲ φῶμεν γεγονέναι;* 676 C: *τάχα γὰρ ἂν ἴσως δείξειεν ἡμῖν τὴν πρώτην τῶν πολιτειῶν γένεσιν καὶ μετάβασιν.*

Quodsi comparamus inter se Politiam et Leges, apparet in illo libro plurima permitti arbitrio principum vel magistratuum, sive uni sive compluribus,[1] ita ut satis fuerit rei publicae constitutionem et eruditionem legibus sancire.[2] Sed desperavit Plato inveniri eos, qui tali magistratuum munere possent ita fungi, ut saluti essent civibus suis; itaque Leg. III summorum magistratuum potestatem valde restringit, nec tamen monarchiam omnino abicit. Inde a quarto vero Legum libro monarchiam abicit omnem. Videtur autem Plato sententiam suam iterum mutasse ea de causa, quod ne Dio quidem illud regnum, quod Leg. III commendatur, efficere potuerat sed perierat, cum id Syracusanis per vim imponere conatus esset.[3] Ita iam non est mirum Platonem etiam in quarto Legum libro rem publicam illam laudare (712 E) nec tamen ullo modo coloniae commendare.

Epistula quoque VII. stabiliri mihi quidem videtur haec sententia. Quanam de causa Plato, quid Dioni suaserit, dissimulat? Nam quanquam, quid Dio efficere voluerit, perspicue se docuisse dicit 336 C, tamen de eis, quae ad Syracusas pertinebant, Dionis consiliis in universum tantum exponit (336 A) Dionem, si imperium obtinuisset, patriam liberalem in statum traducturum optimisque instructurum fuisse legibus. Ego quidem censeo Platonem veritum esse de consiliis illis ab ipso datis uberius dicere, quae propter amicus interfectus esset. Verum hoc certum est Platonem in epistula quoque VII. monarchiam omnino abiecisse, cum Dionis amicis *ἰσονομίαν* quae vocatur commendaverit.[4]

Quae cum ita sint, statuimus, quod quidem ad rei publicae formam pertineat, tres Legum partes diversas seiungendas esse. Totidem Platonis consilia ad Syracusanorum rem publicam pertinentia in septima quae fertur Platonis epistula enumerantur 337 D, quorum primum congruit cum prima Legum parte (cf. ep. VII, 328 A, 335 C sq., 339 E sq.), tertium cum tertia parte; de secundo consilio in epistula accuratius non agitur, Plutarchus autem docet secundum illud consilium congruere cum secunda quam vocamus Legum parte. Apparet igitur ex epistula, quibus

---

[1]) cf. Pol. 445 D, 540 D.

[2]) cf. Pol. 425 C sqq.

[3]) cf. Meyerum V, p. 520 sqq.

[4]) 336 D: *τοὺς δὲ ἄλλους παρακαλεῖν ἐπὶ . . . ἰσονομίαν*, 337 C: *θεῖναι νόμους μήτε νικήσασι μήτε νικηθεῖσι νέμειν πλέον, τὸ δὲ ἴσον καὶ κοινὸν πάσῃ τῇ πόλει.*

causis noster adductus sit, ut iterum iterumque sententiam suam mutaret.[1] Sane casu non potuit fieri, ut tali modo singulae Legum partes congruant cum singulis consiliis, quae Platonem Syracusanis dedisse epistula docemur. Itaque Platonem ipsum epistulae esse auctorem ex ipsis Legibus apparet atque epistula VII. summi est momenti ad cognoscendas Platonis de re publica sententias. Hoc veteres non fugisse apparet ex Albini [2]) Isagogae capite 34.[3] Comiter ac benigne me monuit Immisch Thrasylum hac de causa epistulas cum Minoe, Legibus, Epinomide in unam tetralogiam coniunxisse videri.[4]

Pauca mihi liceat addere, quibus illustrem ac defendam trium illarum partium seiunctionem. 631 B sqq. Plato, qui esset ordo bonorum ad vitam humanam pertinentium, exposuerat atque in hoc ordine civitatis salutem esse positam contenderat. Atqui in tertio libro (696 A sqq.) iterum de bonorum ordine agitur. Brunsium (p. 160 sq.) id offendit, non tam quod non prorsus congruunt ea, quae utroque loco proferuntur, quam quod eadem res, quae initio operis fundamentum totius disputationis videbatur esse, duobus libris post priore loco neglecto iterum tractatur, quasi nondum de ea sit actum. Etenim, quanquam 631 D iam exposuit Plato etiam legislatori illa bona secundum eum, qui modo expositus sit, ordinem esse disponenda, tamen III, 697 A Atheniensem interrogantem fecit hoc: *Τί οὖν; οὐ νομοθέτου καὶ ταῦτα* (sc. illa bona) *αὖ φήσομεν εἶναι διανέμειν;* Quodsi uno tenore Leges essent scriptae, quo modo id potuerit fieri, non intellegeretur; intellegitur, postquam tertium Legum librum nonnullis annis post primi libri initium conscriptum esse demonstravimus. Sed etiam in tertia Legum parte copiosius bonorum ille ordo retractatur initio libri V.

---

[1]) Usener (Preuß. Jahrb. 1884, p. 20) censuit Legum libros documento esse, quoad Plato Aristotelis auctoritati cesserit. Ego vero censeo, ut Aristotelis sententiae magis accedant ad Leges quam ad priores Platonis libros, ea de causa esse factum, quod Plato ad alias sententias pervenerat ipse, Aristoteles autem discipulus fuit Platonis senis.

[2]) Vulgo haec isagoga attribuitur Alcinoo, quod nomen corruptum esse ex Albino docuit Freudenthal, Pauly-Wiss. I, p. 1314 sq.

[3]) In Platonis editionis Hermann. vol. VI, p. 188: *Τῶν δὲ πολιτειῶν φησὶ τὰς μὲν ἀνυποθέτους εἶναι, ἃς ἐν τῇ Πολιτείᾳ διεξῆλθεν . . . . . ὑπογράφει δὲ καὶ ἄλλας πολιτείας ἐξ ὑποθέσεως, ὧν ἐστιν ἥ τε ἐν Νόμοις καὶ ἡ ἐκ διορθώσεως ἐν Ἐπιστολαῖς, ᾗ χρῆται πρὸς τὰς νενοσηκυίας πόλεις τὰς ἐν τοῖς Νόμοις.*

[4]) cf. Diog. Laert. III, 60 sq.

Quae cum ita sint, dubitari iam nequit, quin posteriores Legum libri novem Dione mortuo sint conscripti, atque censeo Platonem consilium eorum conscribendorum cepisse eodem fere tempore, quo epistulam illam ad Dionis miserit amicos, quam anno 353/2 scriptam esse viri docti statuerunt.[1]) Nec tamen eo processerim, ut statuam Platonem ipsas eas, quas inde a quarto Legum libro proposuit, leges amicis Dionis destinasse;[2]) nam Plato ipse concedit 745 E sq. ne has quidem leges institui posse ita, sicut eas proponat,[3]) lusionemque vocat etiam hanc de legibus disputationem.[4])

Multi[5]) iam mirati sunt, quod in exitu tertii demum libri prima coloniae condendae fit mentio. Atheniensis enim, postquam ea, quae prioribus tribus libris tractata sunt, breviter enumeravit affirmavitque totam eam, quae antecesserit, disputationem ea de causa esse institutam, ut, quo modo optime civitas constituatur et quo modo optime quisque vivat, videant (701 E sq.), hoc dicit (702 B): *εἰ δὲ δή τι πεποιήκαμεν προὔργου, τίς ποτ' ἂν ἔλεγχος γίγνοιτο ἡμῖν πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς λεχθείς, ὦ Μέγιλλέ τε καὶ Κλεινία*; Tum demum Clinias mentionem facit coloniae suae, quam deinde oratione condere legibusque instruere incipiunt. Sane iure ac merito Zellerum reliquosque offendit, quod colonia illa non initio totius operis commemoratur, sed paene abrupte in disputationem de re publica legibusque cadit Atheniensis; dicit enim 625 A: cum sociorum alter Lacedaemonius, alter Cretensis itaque uterque in civitate illustribus legibus instructa educatus sit, de re publica legibusque se velle cum illis colloqui, quo facilius iter conficiant (625 B). Ac primum quidem Plato, si initio statim coloniam commemorasset, certam causam dedisset Atheniensi de re publica disputandi. Deinde risum paene movet Clinias, quod per tres libros gravissimi illius mandati, ad quod perficiendum tota disputatio maximi ei videtur esse momenti,[6]) mentionem facit nullam sed

[1]) cf. Adamium p. 5, Raederum in Mus. Rhen. LXI, p. 440.

[2]) Ritter p. 156 Platonem totum Legum opus illis destinasse censuit.

[3]) cf. Gomperzium, Plat. Aufs. IV, p. 7.

[4]) 769 A: *Καλῶς τοίνυν ἂν ἡμῖν ἡ πρεσβυτῶν ἔμφρων παιδιὰ μέχρι δεῦρ' εἴη τὰ νῦν διαπεπαισμένη*, cf. 685 A.

[5]) Zeller, Plat. Stud. p. 58; Susemihl p. 649; Bruns p. 187; Praetorius p. 14.

[6]) 702 B dicit Clinias: *σχεδὸν γὰρ εἰς χρείαν αὐτῶν* (sc. *τῶν λόγων τούτων*) *ἔγωγ' ἐλήλυθα τὰ νῦν, καὶ κατά τινα αὖ καιρὸν σύ τε παραγέγονας ἅμα καὶ Μέγιλλος ὅδε.*

in exitu tertii demum libri eius meminit. Praecipue vero, si uno tenore Leges esse conscriptas ponimus, hoc est mirum: Platonem ne tunc quidem coloniam illam commemorasse, cum III, 683 B totam de re publica legibusque quaestionem retractare coepit. Profecto meliorem ita retractandae huius quaestionis causam attulisset Plato, quam 683 B sq. attulit: non deteriorem fore sequentem disputationem quam ea, quae antea sint dicta. Postremo, si antea iam commemorasset coloniam, non coactus esset libro IV (712 B sqq.) iterum retractare optimam rei publicae formam. Quae cum ita sint, ego quidem non intellego, quo modo Gomperz[1]) id, quod reliquis vitium compositionis visum est omnibus, habere potuerit pro elegantia compositionis. Habet autem excusationem hoc vitium, cum meminimus, quo modo orti sint Legum libri. Tum, cum priorem Legum partem (libb. I—III) conscripsit, Plato coloniam se in posteriore operis parte conditurum esse nondum suspicatus est haud dubie; nam etiamsi iam tunc Syracusanis, ut colonias conderent, suaserat (ep. VII, 332 E), tamen ei non opus erat accuratius exponere, quo modo in eis res publica legesque instituendae essent, quod idem eis quod reliquis oppidis conveniret. Cum vero evanuissent illae spes, quas olim habuerat, una spes ei videbatur ponenda esse in coloniis condendis, quod non quilibet homo civitati utilis esset, ei vero, qui non essent idonei, alio modo non possent arceri. Postquam igitur una spes in coloniis condendis eisque certo quodam modo instituendis posita ei est visa, oportuit eiusmodi coloniam describere, itaque Plato prioribus Legum libris addidit ea fere, quae leguntur inde a 702 A usque ad libri XII finem.

Brunsio (p. 5) igitur concedemus quidem unumquemque, qui librum compositurus sit, scriptorem certum quoddam libri componendi cepisse consilium, priusquam scribere incipiat; sed addemus quibusdam causis adduci posse scriptorem, ut illud, quod ceperit atque perficere iam coeperit, consilium mutet. Quod etiam ita mirum fortasse videtur scriptorem complura consilia inter se diversa in eodem opere velle perficere, haec quoque difficultas expeditur.

Bruns in libro suo, cui inscripsit: Das literarische Porträt der Griechen, p. 272 sqq. animadvertit in reliquis Platonis dia-

[1]) Platon. Aufs. III p. 6.

logis casu quodam fieri, ut de certa aliqua re disputetur; contra in Timaeo et Critia, in Sophista et Politico, i. e. in eis, quos senex Plato scripsit, dialogis eos, qui loquantur, ea ipsa de causa convenisse, ut disputent. Itaque eos, qui in Timaeo Critiaque disputent, simulare porro se tractare eam disputationem, quae in Politia coepta sit, eos autem, qui in Sophista Politicoque, eam, quae in Theaeteto sit instituta. Sed specie tantum inter se conecti illos dialogos non reapse; magnas enim differentias patere inter extremae aetatis et eos, quibus illi annexi sint, dialogos. Magna subtilitate huius rei causam detexit Immisch;[1]) censet enim Platonem extremae aetatis suae dialogos mediae aetatis dialogis annexuisse nulla alia de causa, nisi ut indicaret se sibi constitisse, quamvis mediae et extremae aetatis doctrinae suae inter se viderentur diversae.[2]) Idem vero Plato fecit in Legibus. Primae enim illi vetustissimaeque operis parti, qua easdem atque in Politia defenderat sententias, annexuit reliquas partes, quibus sententias illas plus semel retractavit. Itaque eodem fere modo de totius Legum operis compositione iudicandum est atque de trilogiarum[3]) illarum cum Politia et Theaeteto coniunctione. Sane Plato, quidquid addidit, quoad fieri potuit, cum prioribus partibus coniungere eisque accommodare studuit, id quod vel ex eo apparet, quod permultis locis ad ea, quae antea tractavit, lectorem revocat.[4]) Magis etiam gravissimis discrepantiis tollendis singulas partes inter se accommodasset Plato, si expolire potuisset Leges ipse. Anxie vero Platonem singularum partium proprietates deleturum fuisse omnes nego, quoniam ne in Politia quidem id fecit.[5])

[1]) Neue Jahrb. (ed. Ilberg) II, 1899 p. 451.

[2]) cf. Ritterum l. c. p. 61 sq.: Mehr als einer unserer modernen Philosophen hat nach bedeutsamer Umgestaltung seines Systems den Schein aufrecht zu erhalten gesucht, als hätte er wesentlich immer dasselbe gelehrt.

[3]) Quanquam bini tantum sunt dialogi (Tim. — Crit., Soph. — Politic.), trilogias dixi, quod Plato tertios utrisque addere voluit libros: Hermocratem et Philosophum (cf. Brunsium l. c. p. 273, Immischium l. c.). Platonem neque Hermocratem neque Philosophum conscripsisse Critiamque imperfectum reliquisse non ita mirum est, quoniam iterum iterumque sententias suas ad rem publicam pertinentes retractare coactus est, ita ut pro illis libris magnum conscripserit de legibus opus.

[4]) cf. Ritterum l. c. p. 98 et 399 eundemque in ephemeridis philologae Berolinensis vol. XXIII p. 551 sq.; Gomperzium, Plat. Aufs. III p. 8—21.

[5]) cf. Gerckium in annalibus Ilbergianis IV (1901) p. 93.

Caput III.

I. Quae ratio intercedat inter Legum libros II et VII.

Tractavimus adhuc priorem primi libri partem (— 637 C) et eam partem, quae tertio libro incipit; negleximus posteriorem libri primi partem alterumque librum. Initio huius partis (638 A) Plato exponit Locros a Syracusanis subactos esse. Ad Dionysium minorem, qui inde ab anno 356 Locros servitute tenuit oppressos,[1]) spectare illum locum statuit Boeckh (l. c. p. 73), cui assensi sunt omnes.[2]) Itaque posterior libri I pars nonnullis annis post priorem eiusdem libri partem scripta est, quam ante annum 361 compositam esse docuimus. Quae cum ita sint, iam non est mirum Platonem tum, cum posteriorem libri I partem addidit, tyranni illam laudem, quae antea in primae partis exitu erat posita, seposuisse, quoniam multa in illo temporis spatio erant mutata, atque intellegimus, quo modo potuerit fieri, ut vocabulorum ἀνδρείας et σωφροσύνης alia sit vis in hac parte (647 C sq.), alia in prima operis parte.

De ebrietate copiosius se esse acturum promisit Plato 637 D. Demonstrare autem vult, quo modo ebrietate et vino utendum sit in educatione (641 C sq.). Itaque 642 A de ebrietate se non posse disputare contendit nisi totius educationis habita ratione. Dicit autem, ut de ebrietate possit recte disputari, opus esse musicam tractari, musicam vero non posse tractari reliqua eruditione neglecta. Apparet Platonem hoc loco tractandas sibi proponere musicam et gymnasticam; nam ex duabus his partibus apud Platonem tota eruditio consistit.[3]) Inde a 643 A usque ad 645 C in universum de eruditione disputat Plato. Deinde exponit ebrietatem

[1]) cf. Strabonem VI, 1, 8.

[2]) Dilthey l. c. p. 43; Susemihl l. c. p. 559; Praetorius p. 11 sq.; Zeller II, 1[4] p. 976 adn. 3; Raeder, Platos philos. Entw. p. 397; Meyer V p. 525.

[3]) cf. Pol. 376 E, Leg. 672 E sqq.

magno usui esse ad homines temperantia exercendos.[1]) Non ignorabat Plato novum aliquid et paene inauditum ita in leges induci multosque fore, quibus ridiculum id videretur. Itaque cunctanter Atheniensem sententiam suam proferentem fecit. Brunsium (p. 23 sqq.) offendit, quod iterum iterumque (638 E, 641 A, 641 D, 642 D, 646 A sq.) sociis impellendus est Atheniensis, ut sententiam suam de ebrietate proferat. Sed fugit virum doctum Platonem saepius idem fecisse in difficilibus rebus tractandis, veluti quinti Politiae libri initio, quo de uxorum liberorumque communione agitur.

Altero libro Plato alium vini usum tractavit. Censet enim (664 B) diebus festis tres choros esse debere, qui pueros cum alia doceant tum hoc: iucundissimam vitam esse eandem atque optimam. Illorum chororum tertium componendum esse ex eis, qui intra annum tricesimum et sexagesimum sint (664 D), viris, quippe qui aetate, prudentia, persuadendi vi valeant plurimum. Quodcum propter aetatem canere nolint illi, vino eos esse adducendos, ut canant (666 B sq.). Hoc modo alius vini usus inventus est. Instituendi autem illius chori causa (664 D) multa initio libri II, multa etiam inde a 666 D usque ad 671 A de musica proferuntur praecepta, de quibus iam agendum est.

Bruns (p. 68 sqq.) Kriegio (p. 2) assentiente contendit ea, quae libro II de musica dantur, praecepta e libro VII, quo tota tractatur eruditio, ab editore evulsa atque in eo, quem nunc tenent, loco collocata esse. Iam videamus, quibus argumentis sententiam suam defenderit v. d. Ac primum quidem censet librum II ad coloniam illam, quae in tertii demum libri exitu primum commemoratur, spectare. Apparere id vel ex verbis (664 A) *ἡ τοιαύτη ξυνοικία*, quae non possint referri nisi ad coloniam illam (Br. p. 70). Sed diligentius contemplemur illum locum, quo leguntur illa verba; Atheniensis, postquam fabulas facile fidem invenire exemplo quodam probavit, hoc modo pergit (664 A): *ὥστε οὐδὲν ἄλλο αὐτὸν* (sc. legislatorem) *δεῖ σκοποῦντα ἀνευρίσκειν, ἢ τί πείσας μέγιστον ἀγαθὸν ἐργάσαιτο ἂν πόλιν, τούτου δὲ πέρι πᾶσαν μηχανὴν εὑρίσκειν, ὅντινά ποτε τρόπον ἡ τοιαύτη ξυνοικία πᾶσα περὶ τούτων ἓν καὶ ταὐτὸν ὅτι μάλιστα φθέγγοιτ' ἀεὶ διὰ βίου παντός κτλ.* Verba *ἡ τοιαύτη ξυνοικία* hoc loco spectant ad vocabulum *πόλις*, quod antecedit,

[1]) cf. huius dissert. p. 69 sqq.

neque aliud quidquam atque illud significant; *πόλις* enim certa quaedam *ξυνοικίας* species est, id quod apparet ex Politia 369 C: *ταύτῃ τῇ ξυνοικίᾳ ἐθέμεθα πόλιν ὄνομα.* Itaque hoc argumento Brunsii sententia non stabilitur.

Omnino vero Bruns offenditur iam hoc loco certas leges proponi Atheniensemque 666 A dicere *ἆρ' οὐ νομοθετήσομεν κτλ.* (Br. p. 69). Ad coloniae leges hunc locum spectare per se non apparet; neque enim aliter de eo iudicandum est atque de loco antecedente (662 B), quo Atheniensis, ad certum quoddam oppidum non spectans, dixit: *νομοθέτης ὢν . . . πειρῴμην ἄν κτλ.*[1]) Verum hoc recte monuit Bruns: libro II certas quasdam leges de musica proponi, id quod etiam Gomperz (Plat. Aufs. III p. 25 sq.) concedit; ante Brunsium neglexerant id viri docti; etenim Zeller (Plat. Stud. p. 7) aliique, veluti Susemihl p. 650, Legum libros ita diviserant, ut prioribus tribus libris in universum de legislationis fundamentis disputari, reliquis libris certas leges proponi contenderent. Hac igitur de re recte iudicavit Bruns. Concedemus ei autem satis mirum esse libro II certas leges de musica proponi, septimi vero libri initio universam eruditionem ab integro tractari incipi.[2]) Nec tamen Philippum arcessere opus est; immo facilius expedimus hanc difficultatem, cum, quo modo Legum opus ortum sit, meminimus. Censeo igitur Platonem paullo post annum 356, cum posteriores Legum libros conscribere nondum in animo habuit, universam eruditionem tractare voluisse, id quod I, 642 A clare ac dilucide promittit ipse. Et egit libro II de altera eruditionis parte, de musica, dimidiumque ita consilii sui perfecit.

Etiam gymnasticam Plato tractare tunc coepit. Atheniensis enim, postquam socios 673 B sq. interrogavit, utrum ad gymnasticam transiri velint necne, atque ab illis, ut transeat, monitus est, *ποιητέον* inquit 673 C et paullo post (673 D) ad gymnasticam se transiturum esse affirmat his verbis: *καὶ τὸ μέν* (sc. musicam), *φαμέν, ἤδη διεληλύθαμεν αὐτοῦ* (sc. eruditionis), *τὸ δὲ πειρασόμεθα ἐφεξῆς διελθεῖν.* Quod deinde, priusquam ad illam rem transeat, ebrietatem ad finem se velle ducere Atheniensis dicit (673 D: *Ἐπὶ τοίνυν τῇ τῆς μέθης χρείᾳ τὸν κολοφῶνα πρῶτον ἐπιθῶμεν*) atque ad

[1]) Eodem modo res se habet 673 E: *εἰ μέν τις πόλις κτλ.* et III, 697 A: *ἐπειδὴ νόμων ἐσμὲν καὶ αὐτοί πως ἐπιθυμηταί*, quibus locis ad certum oppidum spectari Bruns (p. 69, 71) negat ipse; cf. Tiemannum p. 21 sq.

[2]) cf. 788 A.

finem eam ducit (673 E sqq.), non ita mirum est.[1]) Sed exspectamus, postquam finis huius rei sit factus (674 C), gymnasticam tractatum iri. Quod tamen minime fit; immo pergitur (676 A): ταῦτα μὲν οὖν ταύτῃ· πολιτείας δὲ ἀρχὴν τίνα ποτὲ φῶμεν γεγονέναι; Iure ac merito offendit viros doctos[2]) tam abrupte initio tertii libri Atheniensem de rei publicae forma incipere disputare. Quin etiam Ritter p. 86 sq. et Gomperz (Plat. Aufs. III p. 9) concedunt lacunam patere inter libri II exitum tertiique libri initium; neque enim verba τὸ δὲ πειρασόμεθα ἐφεξῆς διελθεῖν (673 D) spectare posse ad librum VII, in quo gymnastica tractatur. Uterque vir doctus contendit Platonem tum, cum illa verba scripserit, gymnasticam statim tractare voluisse nec tamen perfecisse illud consilium. Atqui ego quidem censeo Platonem non sine causa tunc eam, quam tractaturum se esse expressis verbis pollicitus est, rem omisisse abrupteque in aliam quaestionem cecidisse. Ritter et Gomperz causam attulerunt nullam. Nos vero causam facile possumus afferre. Docuimus enim eam, de qua modo egimus, partem conscriptam esse post annum 356; tertium autem librum compositum esse anno fere 354, quo tempore Plato Dioni, ut Lacedaemoniorum rem publicam imitaretur, suasit.[3]) Nonne satis verisimile est Platonem tunc de eruditione dissertationem ea de causa non duxisse ad finem, quod Dione rerum potito antiquius habuit rei publicae formam retractare (cf. 683 B sq.) quam eruditionem ad finem ducere, sive consilium a Platone petiverat Dio, sive ultro consilium Dioni daturus erat Plato? Dione autem mortuo Plato iterum sententiam suam de re publica mutavit coloniamque condere coepit inde a quarto Legum libro; quo factum est, ut gymnastica tractetur in septimo demum libro, quo loco etiam de musica, quam II, 672 E, 673 B iam absolutam esse dixerat, plura facit verba (cf. VII, 796 E).

Primi libri exitum secundumque librum conscriptum esse post libri I. initium, quod prorsus cum Politia congruere demonstravimus, et ante tertium reliquosque libros apparet etiam ex sententiis prolatis. Etenim hae quoque medium quasi tenent locum inter eas, quae antea prolatae sunt, et eas, quae postea

---

[1]) cf. Brunsium p. 65.

[2]) Zeller, Plat. Stud. p. 27, 60 sq., Phil. d. Gr. II, 1⁴ p. 980 adn. 2; Bruns p. 66, 144; Tiemann p. 31; Krieg p. 10.

[3]) cf. huius dissert. p. 51.

proferuntur, veluti magis iam accedit Plato ad vulgares illas fortitudinis et temperantiae notiones, quibus inde a libro III. utitur. Demonstravimus enim supra (p. 29 sqq.), quae I, 633 C sqq, expressis verbis uni fortitudini sint attributa: neque timore neque voluptate vinci, ea in altera libri I. parte (647 C sq.) partim fortitudini partim temperantiae attribui, id quod congruit cum posterioribus libris (963 E, 710 A). Contra cum vetustissima operis parte congruit id, quod vehementer vituperantur Dorienses eorumque res publica (666 E sq.); στρατοπέδου πολιτείαν enim Plato eam vocat Doriensesque civitatem administrare discere negat atque omnino vehementer invehitur in eam, quae apud illos in usu sit, eruditionem, qua una bellica exerceatur virtus, reliquae virtutes neglegantur. Haec omnia, ut optime congruunt cum Legum exordio, ita admodum pugnant cum libro III., in quo 696 A sq. plurimi a Lacedaemoniis temperantiam aestimari doceamur Doriensiumque res publica summis laudibus efferatur.

Ea, quae in libro II. de ipsa musica disputantur, medium quasi tenent locum inter ea, quae in Politia, et ea, quae in septimo Legum libro de eadem re proferuntur. Recte observaverunt Susemihl l. c., p. 674 sqq. et G. Finsler (Platon und die Aristotelische Poetik, Lips. 1900, p. 239 sqq.) Platonem Legum libro II. multo clementius poetas tractare quam in Politia. In Politia Platonem vehementer poetas vituperasse notissimum est. In Legum vero libro II., 670 A non se quaerere contendit, quo modo non sit utendum musica, immo quo modo ea sit utendum. Deinde monuerunt illi Platonem in Legibus iam non ex una utilitate, sicut in Politia, sed etiam ex gaudio, quo afficiantur homines, iudicari velle musicam (cf. 802 C). In altero quoque Legum libro (658 E) tantum Plato multitudini concedit: voluptate iudicandam esse musicam; pulcherrimam vero musicam esse eam, quae optimum quemque, non eam, quae quemlibet afficiat gaudio.[1])

Sed etiam inter Legum libros II. et VII. differentias quasdam licet animadvertere. Etenim Finsler l. c., p. 233 recte quodam modo statuit haec: Selbst hier (sc. in Legibus) haben wir noch einen gewissen Unterschied zu machen zwischen den mehr theoretischen Ausführungen im zweiten und den praktischen Vorschriften im siebenten Buche. Haec verba non ita debent intellegi,

---

[1]) cf. Ritterum p. 70.

ut libro II. fundamenta iaciantur earum, quae in septimo libro de musica proferuntur, legum; docuimus enim in ipso libro II. certas quasdam leges proponi. Sed adquiescit Plato in paucis legibus sanciendis: ac primum quidem 656 C contendit poetis non esse permittendum, quaenam carmina pueros et adulescentes in choris doceant; temperantium (660 A) autem et fortium et omnino bonorum virorum gestus modosque numeris harmoniisque effingendos esse poetis. Praeterea eos vetandos esse hoc enuntiare: aliam esse beatam, aliam honestam vitam (662 B)[1]) Deinde (664 B sqq.) tres illos choros institui vult; quorum maxime cordi ei est tertius (664 D). Quinquagenariis eis, qui huic choro intersint (670 A sqq.), carmina modosque diiudicare atque, quae idonea sint, eligere permittit; qua de causa illos, ut convenientia eligant carmina, multo melius quam vulgus eruditos esse debere. Haec poeseos censura summi momenti videbatur esse Platoni;[2]) etenim satis copiose eam tractavit inde a 667 B. In posterioribus vero Legum libris eligendis iudicandisque carminibus, quae choris singulisve canenda sint, certos Plato praeficit magistratus: 764 C sqq.,[3]) 801 D, 802 A sqq., 829 C—E; illius autem chori, de quo in altero libro tam multa sunt disputata, mentio his locis fit nulla, quanquam de eadem re agitur: quibus permittenda sit poeseos censura. Itaque, si chorum illum etiam in colonia institui voluit, Platonem, quae ratio inter eum et illos magistratus intercedat, nullo modo exponere mirum est, ut recte observaverunt Ritter p. 52 sq. et Finsler p. 243. Sed quaerendum est, utrum chorum illum in colonia institui Plato voluerit necne. Uno quidem loco (VII, 812 B) eum commemorat, ita ut Bruns p. 69 et Ritter p. 207 censuerint illum chorum in colonia quoque instituendum esse. Sed timeo, ne parum diligenter de hoc loco iudicaverint viri docti. Etenim Plato 812 B de citharistis agit, quibus pueri tradantur. Censet autem, quantum doctrinae atque eruditionis ad musicam pertinentis conveniat illis, apparere ex eis, quae olim de Bacchi choro sint dicta, paucisque, quemadmodum illum instructum esse voluerit, complectitur. Chori igitur non facit mentionem Plato, nisi ut eandem, quam illi olim attribuerat, eruditionem citharistis iam

[1]) cf. Politiam 392 A.
[2]) cf. Ritterum p. 45 sqq.
[3]) cf. eundem p. 167.

attribuat. Itaque statuendum est Platonem chorum illum ipsum abiecisse.[1]) Poeseos autem censuram, quam illi olim permiserat, in colonia certis magistratibus, ut dixi, mandat, sicut reliquas quoque res in posteriore Legum parte certis quibusdam magistratibus curandas tradit fere omnes. Quae cum ita sint, secundi libri ille chorus, qui quo modo e reliquis eligendus sit, non definitur, magis accedit ad Politiam, qua ipsa magis in universum disseruerit, singula autem instituta minus curaverit. Attamen Legum libro II. magis iam singula instituta curat quam in Politia, cum non modo in universum de musica disserat sed etiam tres illos choros instituat, cuius instituti exemplum apud Lacedaemonios invenit, si fides habenda est schol. ad Leg. 633 A (edit. Hermann. VI, p. 377), ubi memoriae haec sunt tradita: *ἦσαν δὲ χόροι τρεῖς παρὰ Λάκωσι, νέων, ἀνδρῶν, πρεσβυτῶν.*

II. De libri I. exitu et libri II. cap. XII.

Contendimus adhuc posteriorem primi libri partem alterumque librum bene inter se cohaerere et ante librum tertium esse conscriptos, ita ut non possint spectare ad coloniae illius, quae inde a libro IV. conditur, leges. Utrique autem sententiae obstat extremus primi libri exitus, ut mox apparebit.

Inde a libri V. 735 A Atheniensis exponit unicuique legislatori novam rei publicae formam novasque leges instituenti eos, qui in periculum adducturi videantur rem publicam, sive morte et exsilio sive coloniis condendis removendos esse e civitate. Sibi vero non purgandam esse civitatem pergit Atheniensis 736 A sq., sed quasi multis fontibus torrentibusque unum in locum confluentibus diligenter esse providendum, ut quam purissima sit ea, quae confluat, aqua; eam vero, quae impura sit, derivandam esse aquam. Deinde (736 B sq.) dicit haec: *πόνος δ', ὡς ἔοικεν, καὶ κίνδυνός ἐστιν ἐν πάσῃ κατασκευῇ πολιτικῇ· τὰ δ' ἐπείπερ λόγῳ γ' ἐστὶν τὰ νῦν ἀλλ' οὐκ ἔργῳ πραττόμενα, πεπεράνθω τε ἡμῖν ἡ ξυλλογὴ καὶ κατὰ νοῦν ἡ καθαρότης αὐτῆς ἔστω ξυμβεβηκυῖα· τοὺς γὰρ κακοὺς τῶν ἐπιχειρούντων εἰς τὴν νῦν πόλιν ὡς πολιτευσομένους ξυνιέναι πείρᾳ* (*πείρᾳ* Badham p. XX., *πειθοῖ* codd.) *πάσῃ καὶ ἱκανῷ χρόνῳ διαβασα-*

[1]) Plato ipse indicavit se ea, quae prioribus libris proposuerit, non omnia in coloniam suam recepturum esse; dixit enim 702 D: *ἐκ τῶν εἰρημένων ἐκλέξαντες τῷ λόγῳ συστησώμεθα πόλιν.*

νίσαντες διακωλύσωμεν ἀφικνεῖσθαι, τοὺς δ' ἀγαθοὺς εἰς δύναμιν εὐμενεῖς ἵλεῴ τε προσαγώμεθα. Contendit igitur Plato eos, qui in coloniam recipi velint, priusquam recipiantur, probandos esse. Certum vero quendam probandi modum proponere nequit;[1]) nihil de hac re dicit nisi difficilem et periculosam (*πόνος καὶ κίνδυνος*) satisque longam (*ἱκανῷ χρόνῳ*) fore probationem. Atqui primi libri exitu, inde a 649 D, certus quidam modus indicatur, quo facile, sine periculo, celeriter probari possint homines. Vinum enim Atheniensi idoneum videtur esse, quo tententur hominum naturae; dicit autem 649 E sqq. haec: *σκοπῶμεν γὰρ δὴ δυσκόλου ψυχῆς καὶ ἀγρίας, ἐξ ἧς ἀδικίαι μυρίαι γίγνονται, πότερον ἰόντα εἰς τὰ ξυμβόλαια πεῖραν λαμβάνειν, κινδυνεύοντα περὶ αὐτῶν σφαλερώτερον* (*ἀσφαλέστερον* Ast), *ἢ ξυγγενόμενον μετὰ τῆς τοῦ Διονύσου θεωρίας; ἢ πρὸς τἀφροδίσια ἡττημένης τινὸς ψυχῆς βάσανον λαμβάνειν ἐπιτρέποντα αὑτοῦ θυγατέρας τε καὶ ὑεῖς καὶ γυναῖκα, οὕτως ἐν τοῖς φιλτάτοις κινδυνεύσαντα ἦθος ψυχῆς θεάσασθαι; καὶ μυρία δὴ λέγων οὐκ ἄν τίς ποτε ἀνύσειεν, ὅσῳ διαφέρει τὸ μετὰ παιδιᾶς τὴν ἄλλως ἄνευ μισθοῦ ζημιώδους θεωρεῖν. καὶ δὴ καὶ τοῦτο μὲν αὐτὸ περί γε τούτων οὔτ' ἂν Κρῆτας οὔτε ἄλλους ἀνθρώπους οὐδένας οἰόμεθα ἀμφισβητῆσαι, μὴ οὐ πεῖράν τε ἀλλήλων ἐπιεικῆ ταύτην εἶναι, τό τε τῆς εὐτελείας καὶ ἀσφαλείας καὶ τάχους διαφέρειν πρὸς τὰς ἄλλας βασάνους.* Clinias: *Ἀληθὲς τοῦτό γε.* Athen.: *Τοῦτο μὲν ἄρ' ἂν τῶν χρησιμωτάτων ἓν εἴη, τὸ γνῶναι τὰς φύσεις τε καὶ ἕξεις τῶν ψυχῶν, τῇ τέχνῃ ἐκείνῃ, ἧς ἐστιν ταῦτα θεραπεύειν· ἔστιν δέ που, φαμέν, ὡς οἶμαι, πολιτικῆς.* Non est dubium, quin vinum ad cognoscendas animorum naturas idoneum Atheniensi videatur ea de causa, quod eum, qui vinum biberit, veram naturam suam patefacere dicunt.

Quodsi hic locus una cum antecedentibus sequentibusque libri I. et II. capitibus conscriptus esset, non intellegitur, quo modo potuerit fieri, ut Plato hoc tentandi modo, quem facilem, periculo carentem, celerem esse contendit, prorsus neglecto in quinto libro (736 B sq.) difficilem, periculosam, longam fore probationem censeat. Cum vero 649 E sqq. tam copiose, quam praestet vinum reliquis modis, exposuerit, apparet Platonem primi libri exitum post illum quinti libri locum composuisse atque gavisum esse se certum quendam modum invenisse, quo liceat colonorum naturas cognoscere, priusquam commercium cum eis habeatur. Posuit autem hanc

[1]) cf. Poehlmannum l. c. I, p. 496 sq.

tractationem in primi libri exitu, quod hac parte uberius omnino egerat de vini utilitate. Attamen coloniae fit mentio. Etenim quod Brunsium (p. 56) offendit eo, quod verbis (650 A sq.) *καὶ δὴ καὶ τοῦτο μὲν αὐτὸ περί γε τούτων οὔτ' ἂν Κρῆτας κτλ.* incipiat, enuntiato sententiam proferri dudum iam tractatam (sc. *μὴ οὐ πεῖράν τε ἀλλήλων ἐπιεικῆ ταύτην εἶναι*), quanquam verbis *καὶ δὴ καὶ* non sit utendum, nisi ubi novi aliquid proferatur: virum doctum fugit novum aliquid proferri; censet enim Atheniensis Cretenses quoque, i. e. eos, qui coloniam illam in Creta condituri sint, illo hominum probandorum modo usuros esse.

Iam apparet, quo modo factum sit, ut primi libri exitus sequentisque libri initium perturbata sint. Recte id observavit Bruns p. 52 sqq., nisi quod haud pauca eum fugerunt, ita ut ab integro instituenda sit haec quaestio.

Plato, postquam 639 D sqq. in universum, quo modo convivia instituenda sint, docuit, 641 C sq. promisit, quinam in educatione sit vini usus, expositurum se esse, itaque 643 A sqq. uberius de eruditione in universum egit. Contendit autem 644 B bonos esse eos, qui moderari possint sibimet ipsi. Singulos autem homines sibi moderari ipsos, cum eorum animi motus rationem (*τὴν τοῦ λογισμοῦ ἀγωγήν* 645 A), quae civitatis legibus contineatur (645 A), sequantur; civitatem vero, cum vel a deorum aliquo vel ab eo, qui veram de his rebus habuerit sententiam, leges acceperit eisque oboediat (644 C—645 B).[1]) Deinde (645 D sq.) Atheniensis exponit ebrietate quosdam animi motus (*ἡδονάς, λύπας, θυμούς, ἔρωτας*) augeri, comminui rationem (*αἰσθήσεις, μνήμας, δόξας, φρονήσεις*). Attamen eiusmodi animi statum maxime esse idoneum, quo exerceatur temperantia. Nam sicut in metum adducantur homines, quo fortiores fiant, ita eos, qui temperantes reddendi sint, in voluptates libidinesque adducendos esse (647 C sq.), ut vincere eas discant.

Iam Atheniensis (647 E sq.) ponit esse quandam potionem, cuius quo amplius biberint, eo magis timore impleantur homines, additque haec (648 A sq.): *εἰ δ' οὖν ἐγένετό ποθεν* (sc. illa potio),

[1]) Quanquam Plato simulat (644 B sq., 645 B) hoc loco eandem atque in vetustissima Legum parte sententiam proferri magisque perspicue tractari, tamen gravissima patet discrepantia. Etenim in vetustissima parte (627 B) sicut in Politia (431 B) eam civitatem sibi moderari ipsam contenderat, cuius melior pars deteriori moderaretur.

ἔσθ' ὅ τι πρὸς ἀνδρείαν ἦν ἂν νομοθέτῃ χρήσιμον; οἷον τὸ τοιόνδε περὶ αὐτοῦ καὶ μάλα εἴχομεν ἂν αὐτῷ διαλέγεσθαι· φέρε, ὦ νομοθέτα, εἴτε Κρησὶν εἴθ' οἱστισινοῦν νομοθετεῖς, πρῶτον μὲν τῶν πολιτῶν ἆρ' ἂν δέξαιο βάσανον δυνατὸς εἶναι λαμβάνειν ἀνδρείας τε πέρι καὶ δειλίας; Clinias: *Φαίη που πᾶς ἂν δῆλον ὅτι.* Ath.: *Τί δέ; μετ' ἀσφαλείας καὶ ἄνευ κινδύνων μεγάλων ἢ μετὰ τῶν ἐναντίων;* Clin.: *Καὶ τοῦτο μετὰ τῆς ἀσφαλείας ξυνομολογήσει πᾶς.* Deinde Atheniensis quaerit, utereturne legislator eiusmodi potione, ut cives in timores adducat adductosque castigando timoris expertes reddat. Haec bene se habent omnia exceptis eis, quae notavi, verbis.

Ac primum quidem, cum utilitatem quandam vini se expositurum esse promiserit Plato, quae ad fortitudinem iuvandam pertineat,[1]) non exspectamus de hominum probatione actum iri. Deinde potione illa metus inicitur unicuique, ita ut homines non eandem atque aliis temporibus praebeant speciem fortissimique ipsi fiant timidi.[2]) Quonam modo ita vera civium fortitudo ignaviave potest cognosci? Offendit id denique, quod primi libri exitu Plato contendit esse eiusmodi potionem, qua adhibita animorum naturae cognoscantur (650 B), hoc vero loco de potione quadam agitur, quae nusquam inveniatur,[3]) ita ut eadem res altero loco esse, altero loco non esse dicatur. Itaque eis, quae notavi, verbis sententiarum conexus turbatur. Apparet autem Platonem illa verba non ad fictam illam timoris potionem sed ad vinum referri voluisse, quo hominum naturas probari in extremo exitu huius libri censet. Itaque manifestum est Platonem illa verbatum sive inseruisse sive in margine addidisse, cum libri I exitum addidit. Illo quoque loco, sicut 649 E sqq., tutam esse illam probationem contendit coloniaeque facit mentionem his verbis: *εἴτε Κρησὶν εἴθ' οἱστισινοῦν νομοθετεῖς.* Videntur igitur olim post verba *φέρε, ὦ νομοθέτα* (648 A) statim secuta esse haec (648 B): *Χρῷο [δ'] ἂν εἰς τοὺς φόβους τούτους* (sc. eos, de quibus 647 E sq. est

---

1) *ἔσθ' ὅ τι πρὸς ἀνδρείαν ἦν ἂν νομοθέτῃ χρήσιμον;* (648 A).

2) 647 E: . . . *φοβεῖσθαι τὰ παρόντα καὶ τὰ μέλλοντα αὐτῷ πάντα καὶ τελευτῶντα εἰς πᾶν δέος ἰέναι τὸν ἀνδρειότατον ἄνθρωπον, ἐκκοιμηθέντα δὲ καὶ τοῦ πώματος ἀπαλλαγέντα πάλιν ἑκάστοτε τὸν αὐτὸν γίγνεσθαι.*

3) 648 A Clin.: *Καὶ τί τοιοῦτον φαῖμεν ἄν, ὦ ξένε, ἐν ἀνθρώποις γεγονέναι πῶμα;* Ath.: *Οὐδέν.* 649 A: *τοῦ μὲν δὴ φόβου σχεδὸν οὔτε θεὸς ἔδωκεν ἀνθρώποις τοιοῦτον φάρμακον οὔτε αὐτοὶ μεμηχανήμεθα.*

actum) *ἄγων καὶ ἐλέγχων ἐν τοῖς παθήμασιν, ὥστε ἀναγκάζειν ἄφοβον γίγνεσθαι κτλ.*

Copiosius 648 B—E Plato exponit, quo modo timoris illa potione, si esset, utendum sit. Pergit autem 649 A sq.: eiusmodi quidem potionem nusquam inveniri; sed inveniri potionem quandam, qua contrarium atque illa potione efficiatur. Etenim vino hilariores atque timoris expertes fieri homines. Iam (649 B sq.) socii meminerunt antea (647 B) inter se convenisse non modo fortitudinem sed etiam pudorem (= temperantiam, cf. 647 C sq.), timoris quandam speciem, esse colendum. Sicut vero fortitudinem in formidinibus exerceri necesse sit, ita pudorem in contrariis curari necesse esse. Necesse igitur esse nos exerceri, ut in eis affectionibus, quibus affecti praecipue confidentes et audaces esse soleamus, quam minime impudentes et audacia abundantes sed timidi simus, ne quid turpe faciamus aut patiamur (649 C sq.). Haec ubi Clinias concessit, Atheniensis haec dicit: *Οὐκοῦν ταῦτά ἐστιν πάντα, ἐν οἷς ἐσμὲν τοιοῦτοι, θυμός, ἔρως, ὕβρις, ἀμαθία, φιλοκέρδεια, δειλία καὶ ἔτι τοιάδε, πλοῦτος, κάλλος, ἰσχύς, καὶ πάνθ' ὅσα δι' ἡδονῆς αὖ μεθύσκοντα παράφρονας ποιεῖ· τούτων δὲ εὐτελῆ τε καὶ ἀσινεστέραν πρῶτον μὲν πρὸς τὸ λαμβάνειν πεῖραν, εἶτα εἰς τὸ μελετᾶν, πλὴν τῆς ἐν οἴνῳ βασάνου καὶ παιδιᾶς τίνα ἔχομεν ἡδονὴν εἰπεῖν ἔμμετρον μᾶλλον, ἂν καὶ ὁπωστιοῦν μετ' εὐλαβείας γίγνηται;* Sequitur extrema illa libri I pars postea addita, qua Plato exponit vino ad cognoscendos homines esse utendum. Sed diligentius in ea, quae modo exscripsi, verba inquiramus. Posteriore enuntiati parte Atheniensis contendit vinum maxime idoneum esse ad experimentum earum, quae antea commemoratae sint, rerum capiendum (*τούτων . . . πρὸς τὸ λαμβάνειν πεῖραν*). Atqui ego quidem non intellego, quo modo vinum idoneum sit ad divitiarum pulchritudinisque experimentum capiendum. Ne robur quidem ita cognosci posse mihi videtur, nisi forte sodales manus conserunt, id quod male convenit cum temperantiae exercitatione. Inveniuntur autem in priore quoque illius enuntiati parte, quae non possint ferri. Etenim verba *πάντα, ἐν οἷς ἐσμὲν τοιοῦτοι* idem valent atque illud, quod antecedit (649 C) *Ἃ παθόντες ἄρα πεφύκαμεν διαφερόντως θαρραλέοι τ' εἶναι καὶ θρασεῖς.* Atqui in eiusmodi rerum numero minime potest haberi ignavia. Itaque viri docti vocabulum *δειλία* (649 D) aut mutaverunt aut deleverunt. Adquiescerem in hac mutatione, si ea, quae antecedunt, verba bene se haberent. Sed

Atheniensis eas haud dubie allaturus videtur affectiones, quae per se non sunt turpes, quibus tamen ne ad turpe quidquam factum adducamur cavendum est. Nam si res, quae per se sint turpes, allaturus esset, haud scio an non uteretur prima persona (*ἐν οἷς ἐσμὲν τοιοῦτοι*). Et proferuntur quaedam res, quae per se non sunt malae: *θυμός, ἔρως, πλοῦτος, κάλλος, ἰσχύς, ἡδονή.* Minime vero huc pertinent *ὕβρις, ἀμαθία, φιλοκέρδεια* nec non *δειλία*, de qua modo egimus. Pertinent autem haec verba ad illud, quod sequitur, *λαμβάνειν πεῖραν* atque ad extremum libri exitum, quo vino adhibito hominum naturas cognosci Plato exponit. Itaque apparet Platonem in illud, quod exscripsimus, enuntiatum haud pauca inseruisse, quibus exitum illum, quem additurus erat, cum antecedente libri parte coniungeret, qua vinum ad pudorem exercendum esse idoneum docuerat. Censeo autem pristinam huius enuntiati formam restituendam esse hoc fere modo: *Οὐκοῦν ταῦτά ἐστιν πάντα, ἐν οἷς ἐσμὲν τοιοῦτοι, θυμός, ἔρως, [ὕβρις, ἀμαθία, φιλοκέρδεια, δειλία] καὶ ἔτι τοιάδε, πλοῦτος, κάλλος, ἰσχύς, καὶ πάνθ' ὅσα δι' ἡδονῆς αὖ μεθύσκοντα παράφρονας ποιεῖ· [τούτων δὲ εὐτελῆ τε καὶ ἀσινεστέραν πρῶτον μὲν πρὸς τὸ λαμβάνειν πεῖραν, εἶτα] εἰς (δὲ) τὸ μελετᾶν, πλὴν τῆς ἐν οἴνῳ [βασάνου καὶ] παιδιᾶς τίνα ἔχομεν ἡδονὴν εἰπεῖν ἔμμετρον μᾶλλον, ἂν καὶ ὁπωστιοῦν μετ' εὐλαβείας γίγνηται;*

Dubitari nequit, quin Plato, si Legum libros expolivisset, eas difficultates, quas modo deteximus, sublaturus fuerit. Tunc vero, cum libri primi exitum addidit, neglegenter eum cum antecedentibus coniunxit, quoniam totam libri I partem posteriorem retractare voluit.

Iure ac merito Brunsium (p. 53 sq.) offendit, quanquam usque ad I, 649 D vinum ad temperantiam exercendam idoneum esse uberius explicatum sit, tamen Atheniensem sequentis libri initio haec dicere (652 A): *Τὸ δὴ μετὰ τοῦτο, ὡς ἔοικε, σκεπτέον ἐκεῖνο περὶ αὐτῶν, πότερα τοῦτο μόνον ἀγαθὸν ἔχει τὸ κατιδεῖν πῶς ἔχομεν τὰς φύσεις, ἢ καί τι μέγεθος ὠφελίας ἄξιον πολλῆς σπουδῆς ἔνεστ' ἐν τῇ κατ' ὀρθὸν χρείᾳ τῆς ἐν οἴνῳ συνουσίας.* Paullo post Atheniensis pergit hoc modo (652 B sq.): *Ἀναμνησθῆναι τοίνυν ἔγωγε πάλιν ἐπιθυμῶ, τί ποτ' ἐλέγομεν ἡμῖν εἶναι τὴν ὀρθὴν παιδείαν. τούτου γάρ, ὥς γε ἐγὼ τοπάζω τὰ νῦν, ἔστιν ἐν τῷ ἐπιτηδεύματι τούτῳ καλῶς κατορθουμένῳ σωτηρία.* Satis mira, ne dicam inepta, videntur haec verba, cum meminimus idem iam in primo libro (641 C sq.) suspicatum esse Cliniam, cum Atheniensi adnuente hoc

diceret: *Δοκεῖς ἡμῖν, ὦ φίλε, τὴν ἐν τοῖς οἴνοις κοινὴν διατριβὴν ὡς εἰς παιδείας μεγάλην μοῖραν τείνουσαν λέγειν, ἂν ὀρθῶς γίγνηται.* Quae cum ita sint, Brunsio concedimus difficultates inesse in libri II. initio easque gravissimas. Neque vero editoris inscitiae eas attribuimus, sed concludimus ex libri II. initio Platonem hoc initium quoque una cum extremo libri I. exitu inseruisse atque tum, cum libri I. exitum addidit, ea, quae in libro I. de vini in educatione (i. e. in temperantia exercenda) usu protulerat, seponere voluisse omnia. Quod consilium indicavit tantum illis locis non statim perfecit. Neque vero prorsus omittere voluit temperantiae illam exercitationem, immo alio loco eam tractare voluit, qua de re nunc est agendum.

Docuimus libro II. de musica agi atque tres institui choros. Totam hanc tractationem inde a 653 A (*Λέγω τοίνυν τῶν παίδων παιδικὴν εἶναι πρώτην αἴσθησιν ἡδονὴν καὶ λύπην*) usque ad 671 A (*καὶ ὅπερ ὁ λόγος ἐν ἀρχαῖς ἐβουλήθη, τὴν τῷ τοῦ Διονύσου χόρῳ βοήθειαν ἐπιδεῖξαι καλῶς λεγομένην, εἰς δύναμιν εἴρηκεν*) optime inter se cohaerere etiam Bruns (p. 36 sq.) concedit. Ea vero, quae inde ab hoc loco leguntur, offenderunt viros doctos. Describitur enim inde a proximis verbis (*σκοπώμεθα δὴ εἰ τοῦθ' οὕτω γέγονεν. θορυβώδης μέν που ὁ ξύλλογος ὁ τοιοῦτος κτλ.*) conventus quidam, neque potest fieri quin censeamus hunc conventum eundem esse atque Bacchi illum chorum, qui antea tractatus proximisque eis, quae antecedunt, verbis commemoratus sit. Atqui 671 A sqq. de hoc choro eodem modo agitur atque de conviviis illis, quae libri I. parte altera instituta erant temperantiae exercendae causa. Spectant etiam verba *θορυβώδης μέν που ὁ ξύλλογος ὁ τοιοῦτος ἐξ ἀνάγκης προιούσης τῆς πόσεως ἐπὶ μᾶλλον ἀεὶ ξυμβαίνει γιγνόμενος, ὅπερ ὑπεθέμεθα κατ' ἀρχὰς ἀναγκαῖον εἶναι γίγνεσθαι περὶ τῶν νῦν λεγομένων* (671 A) ad I, 640 C: *Ἔστιν δέ γε ἡ τοιαύτη συνουσία, εἴπερ ἔσται μετὰ μέθης, οὐκ ἀθόρυβος.* Atque ea, quae deinde leguntur 671 B — 672 A, ad temperantiam exercendam pertinent omnia. Apparet huius partis auctorem convivia illa et Bacchi chorum in unum confudisse. Atqui duas illas res diversas esse inter se recte monuit Bruns p. 37 sqq. Nam etiamsi quasdam fortasse discrepantias verbis auxit vir doctus, tamen concedendum est talia, qualia 671 A sqq. describantur, convivia male convenire cum chori antea descripti gravitate. Docemur enim 671 A sqq. chori conventus turbulentos magis magisque fieri solere (671 A), libere quemque

dicere omnia neque, quod alii dicant, audire (671 B), iusto denique impudentiores ordinem eos vicesque silentii et sermonis et poculi et Musae ferre recusare confidentiaque impleri non pulchra (671 C). Haec omnia minime idonea videntur esse, quae pueris praesentibus fiant. Puerorum autem educandorum causa et hic et reliqui chori sunt instituti (664 B), illisque duces morum bonorum complexus decori (*τοῖς νεωτέροις ἡγεμόνες ἠθῶν χρηστῶν ἀσπασμοῦ προσήκοντος* 670 D sq.) esse iubentur ei, qui Bacchi choro intersunt. Quae cum ita sint, etiam Ritter concedit hoc (p. 57): Es läßt sich nicht leugnen, daß hierdurch zwei ganz verschiedene Dinge (sc. Bacchi chorus et temperantiae exercitatio) vereinigt sind.

Recte autem Bruns (p. 54) observavit rationem quandam intercedere inter hunc locum et secundi libri initium. Quod vero utrumque locum attribuendum esse editori censet, qui, ut 671 A sqq. temperantiae exercitationem et Bacchi chorum in unum posset confundere, libri initio simulaverit unum tantum antea vini usum (sc. hominum probationem) esse tractatum: id non concedimus. Immo Plato ipse, ut exposui, libri II. initium tum addidit, cum libri I. exitum conscripserat. In expoliendo autem opere ea, quae in libro I. de temperantia exercenda erant dicta, seposuisset. Ne tamen omnino omitteretur haec res, 671 A sqq. eam tractare et cum Bacchi choro in unum confundere voluit. Sane ita, ut nunc est, duarum illarum rerum coniunctio ferri nequit. Itaque iam Tiemann p. 23 coniecit hunc locum (671 A sqq.) esse imperfectum.[1]) Nunc vero, ubi Platonem illum locum, quo de temperantia agitur (671 A: *σκοπώμεθα δή* — 672 A: *Ὀρθῶς, εἴ γε δὴ εἴη τοιαύτη, οἵαν νῦν λέγεις*),[2]) postea inseruisse demonstravimus, intellegitur, quo modo potuerit fieri, ut ille locus imperfectus esse videatur. Non est dubium, quin huius quoque loci difficultates, si expolitae essent Leges, expeditae essent.

[1]) Inveniri in Legibus locos imperfectos („vorläufige Skizzen") etiam Bruns p. 222 et Bergk p. 47 concedunt.

[2]) Ea, quae antecedunt et quae sequuntur hunc locum, optime inter se cohaerent; etenim antea (671 A) Bacchi chorum, qui, quo proclivior ad canendum fiat, vino utitur (666 B sq.), bene se habere contendit Plato, deinde (672 A) autem dicit: *Μὴ τοίνυν ἐκεῖνό γ' ἔτι τῆς τοῦ Διονύσου δωρεᾶς ψέγωμεν ἁπλῶς, ὡς ἔστιν κακὴ καὶ εἰς πόλιν οὐκ ἀξία παραδέχεσθαι.*

Caput IV.

I. De libri XII. exitu.

In libro XII., 951 D sqq. conventus quidam instituitur, qui vocatur (951 D) *σύλλογος τῶν περὶ νόμους ἐποπτευόντων*. Huic intersunt iuvenes et seniores. Cotidie enim convenire iubentur a diluculo usque ad solis ortum primum sacerdotes virtutis palmam adepti, deinde legum custodum decem semper natu maximi, praeterea eruditionis curatores qui sunt et qui fuerunt. Quorum quisque non solus sed cum iuvene aliquo venire debet triginta usque ad quadraginta annos nato. Disputandum eis est de legibus itemque de disciplinis, quae quidem eis, qui de legibus disputent, utiles videantur. Discenda autem iuvenibus illis sunt ea, quae senioribus videntur idonea. De hoc conventu paucis agitur hoc loco; uberius de eo agitur inde a 961 A usque ad operis finem. Atqui ea, quae priore illo loco (951 D sqq.) erant dicta, prorsus congruunt cum eis, quae de coloniae magistratibus prolata erant in prioribus libris; contra libri XII. exitus cum prioribus libris pugnat.

Ac primum quidem offendunt ea verba, quibus altero loco ad conventum transitur. Atheniensis enim, postquam 960 B verbis *ὥστε σχεδὸν ἡ νομοθεσία τέλος ἂν ἡμῖν ἔχοι* finem disputationis videtur fecisse, hoc modo pergit: *τῶν πάντων δ' ἑκάστοτε τέλος οὐ τὸ δρᾶσαί τι σχεδὸν οὐδὲ τὸ κτήσασθαι κατοικίσαι τ' ἐστίν, ἀλλὰ τῷ γεννηθέντι σωτηρίαν ἐξευρόντα τελέως ἀεὶ τότ' ἤδη νομίζειν πᾶν ὅσον ἔδει πραχθῆναι πεπρᾶχθαι, πρότερον δ' ἀτελὲς εἶναι τὸ ὅλον.* Significat igitur auctor nondum antea se exposuisse, quo modo legislatori providendum sit, ut leges conserventur. Clarius etiam hanc sententiam profert 960 D: *ἡμῖν δ' ἔτι μοι φαίνεσθαι δοκεῖ τοῦτ' ἐλλεῖπον τοῖς νόμοις εἶναι, πῶς χρὴ τὴν ἀμετάστροφον αὐτοῖς ἐγγίγνεσθαι κατὰ φύσιν δύναμιν.* Atqui recte monuerunt Bruns p. 213 sqq. et Krieg p. 11 sq. ipsam hanc rem, quae illis locis desideretur, in libro VI. satis

accurate esse tractatam. Contendit enim Plato 769 E sqq. legum custodibus, qui quo modo creandi sint, 753 B sqq. expositum est, providendum esse, ut leges conserventur. 770 B sqq. Atheniensis custodes illos (νομοφύλακας), quasi adsint, alloquitur: ὦ φίλοι σωτῆρες νόμων.

Negari non potest similitudinem quandam esse inter illum libri VI. locum et libri XII. exitum. 770 B Plato eos, quibus legum conservatio traditur, hoc modo alloquitur: ὅποι δὲ βλέποντες δράσετε τὸ τοιοῦτον, ἀκούειν χρή. Μέγιλλος μὲν γὰρ καὶ ἐγὼ καὶ Κλεινίας εἰρήκαμέν τε αὐτὰ ἀλλήλοις οὐκ ὀλιγάκις ὁμολογοῦμέν τε λέγεσθαι καλῶς· ὑμᾶς δὲ ἡμῖν βουλόμεθα ξυγγνώμονάς τε ἅμα καὶ μαθητὰς γίγνεσθαι, βλέποντας πρὸς ταῦτα, εἰς ἅπερ ἡμεῖς συνεχωρήσαμεν ἀλλήλοις τὸν νομοφύλακά τε καὶ νομοθέτην δεῖν βλέπειν. ἦν δὲ ἡ συγχώρησις ἓν ἔχουσα κεφάλαιον, ὅπως ποτὲ ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνοιτ' ἂν τὴν ἀνθρώπῳ προσήκουσαν ἀρετὴν τῆς ψυχῆς ἔχων ἔκ τινος ἐπιτηδεύματος ἤ τινος ἤθους ἢ ποιᾶς κτήσεως ἢ ἐπιθυμίας ἢ δόξης ἢ μαθημάτων ποτέ τινων . . . . (771 A) ψέγετε τοὺς νόμους, ὅσοι μὴ ταῦτα δυνατοί, τοὺς δὲ δυνατοὺς ἀσπάζεσθέ τε καὶ φιλοφρόνως δεχόμενοι ζῆτε ἐν αὐτοῖς. Sicut hoc loco ita in libro XII. quoque 962 A sq. docemur eos, quibus leges sint conservandae, non debere ignorare, quem ad finem spectent leges, ut recte leges conservare atque corrigere possint: Τί δὲ δὴ περὶ πόλιν; εἴ τις τὸν σκοπόν, οἷ βλέπειν δεῖ, τὸν πολιτικὸν φαίνοιτο ἀγνοῶν, ἆρα ἄρχων μὲν πρῶτον δικαίως ἂν προσαγορεύοιτο, εἶτα σῴζειν ἂν δυνατὸς εἴη τοῦτο, οὗ τὸν σκοπὸν τὸ παράπαν μηδ' εἰδείη; . . . Δεῖ δὴ καὶ τὰ νῦν, ὡς ἔοικεν, εἴπερ μέλλει τέλος ὁ κατοικισμὸς τῆς χώρας ἡμῖν ἕξειν, εἶναί τι τὸ γιγνῶσκον ἐν αὐτῷ πρῶτον μὲν τοῦτο ὃ λέγομεν, τὸν σκοπόν, ὅστις ποτὲ ὁ πολιτικὸς ὢν ἡμῖν τυγχάνει, ἔπειτα ὅντινα τρόπον δεῖ μετασχεῖν τούτου καὶ τίς αὐτῷ καλῶς ἢ μὴ συμβουλεύει, τῶν νόμων αὐτῶν πρῶτον, ἔπειτα ἀνθρώπων. Deinde (963 A) Atheniensis, sicut 770 C, exponit ad unam praecipue rem esse spectandum: ad virtutem: πρὸς γὰρ ἓν ἔφαμεν δεῖν ἀεὶ πάνθ' ἡμῖν τὰ τῶν νόμων βλέποντ' εἶναι, τοῦτο δ' ἀρετήν που ξυνεχωροῦμεν πάνυ ὀρθῶς λέγεσθαι. Quae cum ita sint, eandem rem atque supra tractari concedes; offendit autem hoc, quod 960 B sqq. legum conservatio ita retractatur, ut nondum tractata videatur esse.

Profertur autem novum aliquid libri XII. exitu. Summos enim magistratus, qui conventui illi intersint legesque conservent,

philosophiae studere debere docemur. 965 A sq. Plato diligentius eos erudiendos esse contendit; deinde pergit 965 C: Ἆρ' οὖν ἀκριβεστέρα σκέψις θέα τ' ἂν περὶ ὁτουοῦν ὁτῳοῦν γίγνοιτο, ἢ τὸ πρὸς μίαν ἰδέαν ἐκ τῶν πολλῶν καὶ ἀνομοίων δυνατὸν εἶναι βλέπειν; cf. 966 B: περὶ πάντων τῶν σπουδαίων ἆρ' ἡμῖν ὁ αὐτὸς λόγος, ὅτι δεῖ τοὺς ὄντως φύλακας ἐσομένους τῶν νόμων ὄντως[1]) εἰδέναι τὰ περὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτῶν, καὶ λόγῳ τε ἱκανοὺς ἑρμηνεύειν εἶναι καὶ τοῖς ἔργοις ξυνακολουθεῖν, κρίνοντας τά τε καλῶς γιγνόμενα καὶ τὰ μὴ κατὰ φύσιν; 968 A: ὁ δὲ μὴ ταῦθ' οἷός τ' ὢν πρὸς ταῖς δημοσίαις ἀρεταῖς κεκτῆσθαι σχεδὸν ἄρχων μὲν οὐκ ἄν ποτε γένοιτο ἱκανὸς ὅλης πόλεως, ὑπηρέτης δ' ἂν ἄλλοις ἄρχουσιν. Hoc proximo loco expressis verbis summi magistratus, qui conventui intersunt philosophiaque instructi sunt, a minoribus secernuntur, quibus philosophia opus non est. Concedendum est Brunsio (p. 200, 211) et Kriegio (p. 11) vel hoc esse satis mirum, quod hoc demum loco philosophiae studium summis magistratibus, i. e. legum custodibus, attribuitur, in sexto vero libro, quo accuratissime cum de aliorum magistratuum tum de summorum (753 B—755 B) creatione atque muneribus agitur, philosophiae mentio fit nulla. Ne illo quidem loco (769 E sqq.), quo de legum conservatione agitur, commemoratur philosophia; immo vulgarem in modum[2]) hoc tantum contendit Plato (770 C sq.): legum custodibus providendum esse, ut aliquo modo virtutem adipiscantur homines. Contra duodecimi libri exitu legum custodes coguntur quaestiones de virtutis natura instituere (965 C sq.): Ἀναγκαστέον ἆρ', ὡς ἔοικε, καὶ τοὺς τῆς θείας πολιτείας ἡμῖν φύλακας ἀκριβῶς ἰδεῖν πρῶτον, ὅ τί ποτε διὰ πάντων τῶν τεττάρων ταὐτὸν τυγχάνει, ὃ δή φαμεν ἔν τε ἀνδρείᾳ καὶ σωφροσύνῃ καὶ δικαιοσύνῃ καὶ ἐν φρονήσει ἓν ὂν ἀρετὴν ἑνὶ δικαίως ἂν ὀνόματι προσαγορεύεσθαι.

Priore quidem illo loco, quo de conventu magistratuum egit, Plato contendit (952 A) iuvenes eos, qui conventui intersint, discere debere nonnulla a senioribus electa, quae ad leges pertineant. Sed recte observaverunt Bruns p. 205 et Krieg p. 15 priore illo loco de philosophia non esse cogitandum. Quod vel ex eo apparet, quod Plato, priusquam philosophiam commemorat, 965 A dicit: Ἰτέον ἄρα ἐπί τινα ἀκριβεστέραν παιδείαν τῆς ἔμπροσθεν. Assentiemur igitur Brunsio, qui l. c. censuit eas, quae priore illo loco

---

[1]) sc. ὄντως εἰδέναι = ex contemplatione philosopha scire.

[2]) cf. Brunsium p. 219, Bergkium p. 101.

significantur, disciplinas magis ad usum rerum quam ad doctrinam pertinere. Itaque senioribus eis, qui conventui intersunt, Plato permittit, quas eligere velint disciplinas; philosophiam vero 965 B sqq. ab ipso legislatore sanciri vult (cf. *ἀναγκαστέον κτλ.* 965 C).

Apparet libri XII. exitu novum aliquid proferri, cum postuletur, ut summi magistratus philosophia instructi sint. Nec tamen ita haec res profertur, ut ea coniungi possit cum eis, quae antea de magistratibus creandis prolata sunt. Postulatur enim 969 B sq., ut ei, quibus summi magistratus tradendi sint, recte erudiantur, sc. philosophia instruantur, deinde vero ut urbis custodes in arce collocentur.[1]) Atqui quo modo summi magistratus creandi sint, in libro VI. hoc modo Plato exposuit (753 C sq.): *φέρειν . . . ἕκαστον εἰς πινάκιον γράψαντα τοὔνομα . . . τὰ δὲ τῶν πινακίων κριθέντα ἐν πρώτοις μέχρι τριακοσίων δεῖξαι τοὺς ἄρχοντας ἰδεῖν πάσῃ τῇ πόλει, τὴν δὲ πόλιν ὡσαύτως ἐκ τούτων φέρειν πάλιν, ὃν ἂν ἕκαστος βούληται, τοὺς δὲ τὸ δεύτερον ἐξ αὐτῶν προκριθέντας ἑκατὸν δεῖξαι πάλιν ἅπασιν, τὸ δὲ τρίτον φερέτω μὲν ἐκ τῶν ἑκατὸν ὁ βουληθεὶς ὃν ἂν βούληται, . . . ἑπτὰ δὲ καὶ τριάκοντα, οἷς ἂν πλεῖσται γένωνται ψῆφοι, κρίναντες ἀποφηνάντων ἄρχοντας.*

Etiam Ritter p. 350 concedit Legum exitu eam, quae in libro VI. sancta sit, magistratuum creationem valde restringi. Neque vero restringitur tantum ea, quae ibi proposita est, summorum magistratuum creatio, sed omnino tollitur. Nam quicumque duos illos locos, 969 B sq. et 753 C sq., diligenter inter se comparaverit, concedet alterum magistratuum eligendorum modum cum altero coniungi posse nequaquam.[2]) Priore illo loco (753 C sq.), quem quisque vult, suffragio suo adiuvat; triginta autem septem illi, qui plurimum valuerunt, statim magistratus declarantur, ubi creati sunt; quonam modo ita philosophia illi possunt instrui?

Recte Susemihl l. c., p. 578 observavit libri XII. exitu summis magistratibus eandem fere attribui eruditionem atque philosophis illis, quibus in Politia summam potestatem tradiderat Plato. Quod ita exitus Legum magis accedit ad priorem illum de re publica librum quam reliquae Legum partes, hanc difficultatem solvere alii aliter conati sunt. Etenim Bruns (p. 220 sqq.) censuit Legum

[1]) *ἐὰν ἄρα ἡμῖν οἵ τε ἄνδρες ἀκριβῶς ἐκλεχθῶσι, παιδευθῶσί τε προσηκόντως, παιδευθέντες τε ἐν ἀκροπόλει τῆς χώρας κατοικήσαντες φύλακες ἀποτελεσθῶσιν κτλ.*

[2]) cf. Zellerum II, 1[4] p. 967.

exitum fragmentum esse prioris alicuius de legibus operis, quod Plato conscribere coeperit deinde vero seposuerit; editorem autem illud fragmentum Legibus annexuisse. Contra Zeller II, 1[4] p. 966 sq. et Poehlmann l. c. I p. 559 Brunsii sententia repudiata contendunt Platonem coloniae ipsius rem publicam Politiae similiorem reddidisse Legum exitu. Ego nunc quidem unum monuerim hoc: editorem, si vera sit Brunsii sententia, multa mutasse atque addidisse, quoniam haud raro, veluti 961 A, earum, quae antecedunt, operis partium fit mentio; intelleximus autem aliis locis editorem omni mutatione pie abstinuisse. Certum autem iudicium de Legum exitu ferre licebit, ubi aliam quaestionem absolverimus.

II. De libro X.

Exposuimus supra in duodecimo demum libro (951 D sqq.) institui conventum illum, qui altero loco (951 D) *σύλλογος τῶν περὶ νόμους ἐποπτευόντων*, altero (968 A) *τῶν ἀρχόντων νυκτερινὸς σύλλογος* vocatur. Atqui duobus libri X. locis conventus ille commemoratur, quasi iam tractatus sit; leguntur enim haec (908 A): *δεσμωτηρίων δὲ ὄντων ἐν τῇ πόλει τριῶν, ἑνὸς μὲν . . ., ἑνὸς δὲ περὶ τὸν τῶν νύκτωρ συλλεγομένων ξύλλογον, σωφρονιστήριον ἐπονομαζόμενον κτλ.* et paullo post (909 A): *ἐν τούτῳ δὲ τῷ χρόνῳ μηδεὶς τῶν πολιτῶν αὐτοῖς ἄλλος συγγιγνέσθω πλὴν οἱ τοῦ νυκτερινοῦ ξυλλόγου κοινωνοῦντες.* Iure ac merito Brunsium p. 212 Zellerumque l. c. p. 968 offendit his locis institutum quoddam, quasi iam sit notum, commemorari, quanquam nondum tractatum est. Sed diligentius iam contemplemur librum X.

Toto fere hoc libro de rebus divinis agitur, inde a verbis (885 B) *ὅσα δὲ λόγῳ καὶ ὅσα ἔργῳ περὶ θεοὺς ὑβρίζει τις λέγων ἢ πράττων, τὸ παραμύθιον ὑποθεμένῳ ῥητέον ἃ δεῖ πάσχειν.* Refutantur autem 885 B sqq. copiosius tres sententiae: 1. deos omnino non esse, 2. deos quidem esse neque vero homines curare, 3. facile permoveri posse deos sacrificiis et precibus. Deinde (907 D sqq.) usque ad finem libri X. certae quaedam de impietate et de deorum cultu proferuntur leges. Totam illam disputationem (885 B—907 D), qua de deorum natura egit, Plato *προοίμιον* vocat (887 A, 907 D). Atqui iam in libro quarto (715 E sqq.) de eadem re egit vocavitque illam quoque disputationem prooemium (723 E sq.). Expressis autem verbis ibi contendit plura de dis iam non esse verba facienda;

dixit enim 723 E: *καὶ τὰ μὲν περὶ θεῶν τιμῆς . . . καὶ τὰ νυνδὴ λεχθέντα ἱκανά* et paullo post (723 E sq.): *Οὐκοῦν περὶ θεῶν . . . τότε ἱκανῶς ἐπροοιμιασάμεθα.* Manifestum est Platonem tum, cum illos locos conscripsit, nondum in animo habuisse posteriore loco per totum fere unum librum de dis disputare. Pugnat autem totius ibri X. sententia cum reliquo opere.

Ac primum quidem XII, 948 C sq. Plato censet cives omnino vetandos esse iurare, quod plerique homines aut deos esse omnino negent, aut deos non curare homines putent, aut arbitrentur deos sacrificiis blandimentisque permoveri posse, ut malos homines adiuvent; quam sententiam stabilit hoc modo (948 D): *μεταβεβληκυιῶν οὖν τῶν περὶ θεοὺς δοξῶν ἐν τοῖς ἀνθρώποις μεταβάλλειν χρὴ καὶ τοὺς νόμους.* Hoc igitur loco Plato contendit legislatorem cum usitatis hominum opinionibus ad deos pertinentibus pugnare non posse. Contra in decimo libro (891 B) legislatorem religioni auxilium ferre debere censet itaque ipsas illas tres de dis opiniones non modo intento studio refutat sed etiam 907 D sqq. gravissime in eos animadverti vult, qui opiniones illas habeant. Vincula enim illis paranda sunt omnibus (908 A); pars autem eorum etiam morte multanda est (908 E sq.). Hoc igitur loco tres illas opiniones radicitus ex hominum animis evelli vult. Concedes hanc sententiam non congruere cum XII, 948 D.

Quo minus erroribus impleantur cives (909 D), praecepta quaedam ad deorum cultum pertinentia adduntur, quorum gravissimum est hoc (909 D, cf. 910 C): *ἱερὰ μηδὲ εἷς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἐκτήσθω· θύειν δ' ὅταν ἐπὶ νοῦν ἴῃ τινί, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω θύσων.* Cum hoc praecepto pugnant duo loci, quibus sacra privata probantur. Legitur enim IV, 717 B: *μετὰ θεοὺς δὲ τούσδε καὶ τοῖς δαίμοσιν ὅ γε ἔμφρων ὀργιάζοι ἄν, ἥρωσιν δὲ μετὰ τούτους· ἐπακολουθοῖ δ' αὐτοῖς ἱδρύματα ἴδια πατρῴων θεῶν κατὰ νόμον ὀργιαζόμενα.* Cum hoc loco congruit initium decimi libri (885 A), ubi nefas esse contendit Plato sacra privata violare.

Quae cum ita sint, liber X. inde a 885 B a reliquis praeceptis sententiisque ad religionem pertinentibus abhorret. Vel hac de causa probabile videtur illam partem non una cum reliquis libris esse conscriptam. Licet autem clare ac dilucide demonstrare decimum librum postea esse insertum. Postquam enim deorum cultus absolutus est, initio libri XI. pergitur: *Τὰ δὴ μετὰ ταῦτ' εἴη ξυμβολαίων ἂν πρὸς ἀλλήλους ἡμῖν δεόμενα προσηκούσης τάξεως·* Nimirum

exspectabis iam acturum esse Platonem de commerciis. Sed audias quaeso, quae sequantur (913 A): *ἁπλοῦν δέ γ' ἐστί που τό γε τοιοῦτον· μήτε οὖν τις τῶν ἐμῶν χρημάτων ἅπτοιτο εἰς δύναμιν, μηδ' αὖ κινήσειε μηδὲ τὸ βραχύτατον ἐμὲ μηδαμῇ μηδαμῶς πείθων· κατὰ ταὐτὰ δὲ ταῦτα καὶ περὶ τὰ τῶν ἄλλων ἐγὼ δρῴην, νοῦν ἔχων ἔμφρονα.* Eodem modo ea, quae sequuntur, non pertinent ad commercium, veluti 914 C legitur: *ἐὰν δέ τις ἐπαιτιᾶται τῶν αὑτοῦ χρημάτων ἔχειν τινὰ πλέον ἢ καὶ σμικρότερον κτλ.* De commercio non agitur nisi inde a verbis (915 D) *ὅσα δὲ διά τινος ὠνῆς ἢ καὶ πράσεως ἀλλάττεταί τις ἕτερος ἄλλῳ κτλ.* Mirum est viros doctos adhuc fugisse hanc rem. Quo vero pertineant ea, quae proferuntur 913 A — 915 D, apparet ex verbis (915 A) . . . *τῶν βιαίων ἔνοχος ἔστω.* De his initio libri X. simillimis verbis agitur atque leguntur 913 A (*ἁπλοῦν κτλ.*). Dicit enim Plato 884 haec: *Μετὰ δὲ τὰς αἰκίας περὶ παντὸς ἓν εἰρήσθω τοιόνδε τι νόμιμον βιαίων πέρι· τῶν ἀλλοτρίων μηδένα μηδὲν φέρειν μηδὲ ἄγειν, μηδ' αὖ χρῆσθαι μηδενὶ τῶν τοῦ πέλας, ἐὰν μὴ πείσῃ τὸν κεκτημένον.* Deinde varia violentiae (*βιαίων*) genera affert Plato, donec 885 A iterum[1]) contendit communem legem de variis illis generibus ferendam esse omnibus (*οἷς δὴ δοτέον εἰς κοινὸν νόμον ἑκάστοις*).

Ego quidem non dubito, quin hoc loco olim secuta sint ea, quae nunc initio sequentis libri leguntur: *ἁπλοῦν . . .* Neque enim aliud quidquam his verbis continetur nisi paraphrasis eorum, quae initio libri X. leguntur, verborum (*τῶν ἀλλοτρίων κτλ.*). Haec paraphrasis bene se habet post verba *οἷς δὴ δοτέον εἰς κοινὸν νόμον ἑκάστοις.* Eis vero, quae nunc sequuntur (885 A sq.), verbis (*ἱεροσυλία μὲν γὰρ εἴρηται ξυλλήβδην, βίαιός τε καὶ λάθρᾳ ἐὰν γίγνηται, τί χρὴ πάσχειν· ὅσα δὲ λόγῳ καὶ ὅσα ἔργῳ περὶ θεοὺς ὑβρίζει τις λέγων ἢ πράττων, τὸ παραμύθιον ὑποθεμένῳ ῥητέον, ἃ δεῖ πάσχειν*) transitur ad tres illas de dis opiniones, quem tractatum insertum esse censemus, itaque illa verba una cum hoc postea inserta sunt. Finitur autem inserta pars primis libri XI. verbis, quibus per errorem transitio ad commercium fit; eiusmodi error facile ita potuit oriri.

Recte observavit Susemihl p. 579 librum X. propinquum esse libri XII. exitui, quo conventus ille nocturnus instituitur. Nam reliqua praecepta ad coloniam pertinentia propius accedunt ad opiniones vulgares et praecipue philosophiae in illis mentio non

[1]) cf. 884: *ἓν εἰρήσθω τοιόνδε τι νόμιμον.*

fit, duabus vero illis partibus de summis rebus philosophum in modum disputatur. Propinquitas autem ex eo quoque elucet, quod in altera parte alterius saepius fit mentio. Etenim inter eas res, quarum studium legum custodibus commendatur (966 B), primum locum tenent eae, quae libro X. sunt tractatae, et expressis verbis illa tractatio commemoratur 966 C: *Μῶν οὖν οὐχ ἓν τῶν καλλίστων ἐστὶ τὸ περὶ τοὺς θεούς, ὃ δὴ σπουδῇ διεπερανάμεθα, ὥς εἰσί τε καὶ ὅσης φαίνονται κύριοι δυνάμεως;* Hic locus ad totum librum X. spectat; ad unam illius libri partem (cf. X, 896 C, 897 C—899 B) spectant haec verba (XII, 966 D sq.): *Ἆρα οὖν ἴσμεν, ὅτι δύ' ἐστὸν τὼ περὶ θεῶν ἄγοντε εἰς πίστιν, ὅσα διήλθομεν ἐν τοῖς πρόσθεν; — Ποῖα; — Ἓν μὲν ὃ περὶ τὴν ψυχὴν ἐλέγομεν, ὡς πρεσβύτατόν τε καὶ θειότατόν ἐστι πάντων, ὧν κίνησις γένεσιν παραλαβοῦσα ἀέναον οὐσίαν ἐπόρισεν· ἓν δὲ τὸ περὶ τὴν φοράν, ὡς ἔχει τάξεως, ἄστρων τε καὶ ὅσων ἄλλων ἐγκρατὴς νοῦς ἐστι τὸ πᾶν διακεκοσμηκώς.* Duobus autem, ut supra exposui, libri X. locis commemoratur conventus ille, qui libri XII. exitu tractatur.

Ex his locis apparet, quem ad finem libri XII. exitu retractatus sit conventus ille nocturnus: conventus ille, qui hoc loco depingitur, praecipue ea de causa videtur institui, ut eas, quas Plato libro X. de dis protulit, opiniones tueatur. Meminimus enim 966 B sqq. inter eas res, quibus conventus ille debeat studere, deorum cognitionem primum tenere locum. Reliquis quidem civibus accuratiore rerum divinarum cognitione opus non esse censet Plato 966 C; legum vero custodem fieri non debere, nisi qui enixe operam dederit, ut apprehendat omnia, quae ad deos pertineant; atque secundum hunc potissimum finem reliqua summorum magistratuum studia disponuntur: animi caelestiumque cognitioni operam dare iubentur, quod ex illa oriatur opinio deorum (966 D sqq., 967 D sqq.). Quae cum ita sint, non est mirum in libro X, 909 A eos, qui falsas de dis habeant opiniones, conventui illi tradi, cui qui intersint cum impiis illis colloquantur admonendi et animi sanandi causa (*ἐπὶ νουθετήσει τε καὶ τῇ τῆς ψυχῆς σωτηρίᾳ*).

Theologos igitur summos magistratus esse vult Plato. Non convenit sane haec sententia cum eis, quae libro VI. de magistratibus data sunt, praeceptis; nec tamen prorsus abhorret ab eis, quibus Plato inde a libro IV. usus est, legislationis fundamentis. Nam in illo iam libro egregium illud dictum, quod in Politia 473 D legitur, hoc modo mutavit (713 E): *ὅσων ἂν πόλεων μὴ θεὸς ἀλλά*

τις ἄρχῃ θνητός, οὐκ ἔστιν κακῶν αὐτοῖς οὐδὲ πόνων ἀνάφυξις. Dis autem servire idem (762 E) ei videtur esse atque legibus servire. Itaque iam inde a libro IV. religione sanciri voluit leges.[1]) Nec tamen tritas quasdam tunc temporis pervulgatasque de dis opiniones ab ipsius opinione discrepantes impugnare ausus est, immo vulgaribus opinionibus cessit[2]) (948 D), ut exposui. Decimo vero libro extremique libri exitu studet eis, quae legibus suis fundamento fuerint, opinionibus cives implere omnes. Duabus igitur his partibus Plato rigide persequitur eam sententiam, quae iam inde a libro IV. fundamento fuit legislationi: religione sanciendas esse leges. Quae cum ita sint, priore aliquo tempore Legum exitum esse conscriptum negamus; immo contendimus Platonem libri XII. exitum et librum X. post reliquum opus composuisse, quo sententiam illam nondum tam rigide sit persecutus.

Unum etiam mihi liceat afferre, quo differat extrema haec pars a reliquis libris, quibus de colonia agitur. In reliquis libris Platonem iterum iterumque res humanas contemnere recte observaverunt Zeller II, 1[4], p. 972 sq., Ritter p. 199, alii; veluti 803 C homines ludicra dei arteficia vocat et 803 B res humanas seria cura indignas habet (cf. 804 B). Cum tali sententia non bene congruit liber X., quo longe aliter de rebus humanis iudicat; contendit enim (906 A) hoc fato homines esse natos, ut deorum auxilio adiuti contra mala ea, quae in mundo sint, pugnent.[3]) Quod IV, 713 C sqq. Saturni olim temporibus fuisse exposuerat: homines a geniis custoditos atque adiutos esse, idem X, 906 A etiam nunc ei videtur esse, cum dicat: *ξύμμαχοι δὲ ἡμῖν θεοί τε ἅμα καὶ δαίμονες, ἡμεῖς δ' αὖ κτήματα θεῶν καὶ δαιμόνων.* Quin etiam concedit X, 904 B sq.[4]) liberum arbitrium hominibus esse, id quod V, 731 C[5]) et IX, 860 D prorsus negaverat. Iam Zeller censuit l. c., p. 977 Platonem pessimismo quem vocant se dedisse ea de causa, quod ea, quae Syracusanis dedisset, consilia male evenissent.[6]) Haec

---

[1]) cf. Zellerum II, 1[4] p. 954, Poehlmannum l. c. p. 538.

[2]) cf. Zellerum, Plat. Stud. p. 44 sqq., Susemihlium p. 588, Windelbandium l. c. p. 170 sq.

[3]) cf. Brunsium p. 97 sqq.

[4]) *τῆς δὲ γενέσεως τὸ ποίου τινὸς ἀφῆκε* (sc. deus) *ταῖς βουλήσεσιν ἑκάστων ἡμῶν τὰς αἰτίας.*

[5]) *πᾶς ὁ ἄδικος οὐχ ἑκὼν ἄδικος.*

[6]) cf. Poehlmannum p. 488 et Wilamowitzium, Aristoteles und Athen I, p. 330.

sententia nunc probabilissima etiam est, postquam, quo tempore illi libri conscripti sint, accuratius definivimus. Tum vero, cum extremas Legum partes conscripsit, Plato solatium videtur invenisse dolori illi. Quid mirum, si in exitu Legum propius rursus accedit ad Politiae instituta?

Iam quaerendum est, quo ordine extremae Legum partes compositae sint. Videntur Leges olim finitae fuisse verbis (960 B) *σχεδὸν ἡ νομοθεσία τέλος ἂν ἡμῖν ἔχοι.* Deinde Plato librum X. conscripsit. Quo factum est, ut in hoc libro conventus nocturni fiat mentio, qui XII, 951 D institutus erat. Postremo libri XII. exitum conscripsit, in quo liber X. saepius commemoratur. Obversabatur autem Platoni iam tum, cum librum X. scripsit, theologorum ille conventus ante oculos, quem postea demum (960 B sqq.) depinxit, non illa conventus nocturni forma, quam 951 D descripserat.

Paucae etiam sunt expediendae difficultates. Quod enim exitu demum Legum magistratus in duo genera dividi docuimus, quorum alterum philosophia sit instructum: haec divisio tribus priorum librorum locis indicatur. Ac primum quidem I, 632 C leguntur haec: *κατιδὼν δὲ ὁ θεὶς τοὺς νόμους ἅπασιν τούτοις φύλακας ἐπιστήσει, τοὺς μὲν διὰ φρονήσεως, τοὺς δὲ δι᾽ ἀληθοῦς δόξης ἰόντας.* Quae ad Legum exitum spectare suo iure statuit Zeller l. c., p. 967 adn. 2. Sed dudum iam demonstravimus (p. 22 sqq.) totum hunc locum (631 D —632 C), quo singulae coloniae leges disponantur, postea esse insertum. Nunc vero intellegimus eum non esse additum nisi toto vel paene toto opere confecto, quoniam conventus ille, qualis exitu demum operis instituitur, indicatur. Quae cum ita sint, hoc non est mirum[1]), quod, ubicumque in Legibus ad aliam rem transitur, dispositio illa commemoratur nullo modo.

Deinde divisio illa magistratuum indicatur V, 734 E sq. his verbis: *καθάπερ οὖν δή τινα ξυνυφὴν ἢ καὶ πλέγμ᾽ ἄλλ᾽ ὁτιοῦν, οὐκ ἐκ τῶν αὐτῶν οἷόν τ᾽ ἐστὶν τήν τε ἐφυφὴν καὶ τὸν στήμονα ἀπεργάζεσθαι, διαφέρειν δὲ ἀναγκαῖον τὸ τῶν στημόνων πρὸς ἀρετὴν γένος· ἰσχυρόν τε γὰρ καί τινα βεβαιότητα ἐν τοῖς τρόποις εἰληφός, τὸ δὲ μαλακώτερον καὶ ἐπιεικείᾳ τινὶ δικαίᾳ χρώμενον· ὅθεν δὴ τοὺς μεγάλας ἀρχὰς ἐν ταῖς πόλεσιν ἄρξοντας δεῖ διακρίνεσθαί τινα τρόπον ταύτῃ καὶ τοὺς σμικρὰς* (*σμικρὰς* Buecheler; cf. Brunsium, de Leg. Plat.

[1]) cf. Brunsium p. 185.

comp., p. 11; *σμικρᾷ* codd.) *παιδείᾳ βασανισθέντας ἑκάστοτε κατὰ λόγον.* Ex hoc loco, quamvis obscura sit eius structura, apparet inter se opponi duo magistratuum genera, quae eruditione inter se differant. Atqui hic locus cum antecedente oratione coniunctus est nullo modo. Antea (734 E) Plato contenderat iam ad leges ipsas esse transeundum (*ἀναγκαῖον . . . νόμους πολιτείας ὑπογράφειν*), itaque verbis *καθάπερ οὖν κτλ.* ad leges proponendas videtur transiri. Quod tamen non fit; immo de magistratibus agitur, qui deinde (735 A) expressis verbis opponuntur legibus ipsis: *ἐστὸν γὰρ δὴ δύο πολιτείας εἴδη, τὸ μὲν ἀρχῶν καταστάσεις ἑκάστοις, τὸ δὲ νόμοι ταῖς ἀρχαῖς ἀποδοθέντες.* Quae cum ita sint, Bruns p. 189 sqq., Bergk p. 64 sq., Praetorius p. 22 sq., Zeller II, 1[4], p. 967 adn. 2, Krieg p. 32 statuerunt illum locum, quo de magistratibus agatur, ab editore esse insertum.

Recte autem observavit Bruns p. 191 adn. 1 aptum esse hunc locum (inde a *καθάπερ* usque ad *ἀποδοθέντες*), quo ad magistratuum constitutionem transeatur. Haec vero non hoc loco sequitur sed inde ab initio libri VI. Monuit Bruns l. c. eadem fere verba, quae 735 A legantur (*ἐστὸν γὰρ δὴ δύο πολιτείας εἴδη . . .*), initio libri VI. occurrere (751 A sq.): *Δύο εἴδη ταῦτα περὶ πολιτείας κόσμον γιγνόμενα τυγχάνει, πρῶτον μὲν καταστάσεις ἀρχῶν τε καὶ ἀρξόντων, . . . ἔπειτα οὕτω δὴ τοὺς νόμους ταῖς ἀρχαῖς ἑκάσταις ἀποδοτέον κτλ.* Concedendum est Brunsio (l. c.): hoc *δύο εἴδη περὶ πολιτείας κόσμον γιγνόμενα* clarius esse dictum quam illud *πολιτείας εἴδη* (735 A); nam rei publicae species (*εἴδη*) aliis locis (681 D, 714 B). Plato vocavit tyrannidem, democratiam etc. Ex similitudine autem illorum locorum apparere mihi videtur, quid de toto illo loco (734 E: *καθάπερ* — 735 A: *ἀποδοθέντες*) iudicandum sit. Postquam summorum magistratuum constitutionem Legum exitu mutavit, Platoni ea, quae in libro VI. de illis protulerat, delenda erant, non ita ea, quae de minoribus magistratibus erant dicta. Initio autem libri VI., quo de magistratibus constituendis se esse acturum promiserat verbis (751 A) *Ἀλλὰ μὴν μετά γε πάντα τὰ νῦν εἰρημένα σχεδὸν ἂν ἀρχῶν εἶέν σοι καταστάσεις τῇ πόλει,* aliquo modo erat significandum duo diversa esse magistratuum genera, quorum alterum libro VI alterum operis exitu constitueretur. Hoc significare voluit vel potius coepit Plato, cum illa verba conscripsit, quae nunc in libro V. (734 E sq.) leguntur. Haud dubie destinaverat ea Plato libri VI. initio; in eo, quem nunc tenent, loco ab editore videntur collocata esse.

Agendum denique est de libri VII. quodam loco. Meministi hoc libro universam eruditionem tractari. 817 E tres enumerantur artes, quae ingenuis discendae sint: arithmetica, geometrica, astronomia. Pergitur autem 818 A: *ταῦτα δὲ ξύμπαντα οὐχ ὡς ἀκριβείας ἐχόμενα δεῖ διαπονεῖν τοὺς πολλοὺς ἀλλά τινας ὀλίγους. οὓς δέ, προιόντες ἐπὶ τῷ τέλει φράσομεν.* Recte statuit Ritter p. 215 extremis his verbis conventum illum nocturnum significari, qui libri XII. exitu tractatur; neque enim cuiquam accuratior eruditio attribuitur nisi illi (964 D, 965 A). Deinde libri VII. illo loco docemur[1]) universa mathematica et astronomia opus esse ei, qui pulcherrimarum scientiam habiturus sit rerum (*τῷ μέλλοντι σχεδὸν ὁτιοῦν τῶν καλλίστων μαθημάτων εἴσεσθαι* 818 D). Simillima inveniuntur in libri XII. exitu. Ibi (966 D sqq.) Plato contendit astronomia opus esse eis, qui deos velint cognoscere; deorum autem cognitionem 966 C *ἓν τῶν καλλίστων* vocat, quae verba similia sunt illius *ὁτιοῦν τῶν καλλίστων μαθημάτων* (818 D). Quae cum ita sint, Rittero (p. 214) assentiemur, qui ea, quae 818 D legantur, verba ad deorum cognitionem referri velit, statuemusque ea spectare ad conventus nocturni studia theologica. Quod deinde (818 E) in aliud tempus[2]) Atheniensis reservat accuratiorem harum rerum tractatum: hoc quoque ad libri XII. exitum spectat. Postremo (819 A) Plato timere se dicit eos, qui his studiis se dederint sed male se dederint; maximum enim esse malum multa didicisse prava institutione. Eosdem autem X, 886 A sqq. timet, ubi de impietate agit. Itaque toto fere hoc loco (818 A—819 A) significantur ea, quae libro X. et libri XII. exitu, novissimis Legum partibus, de religione conservanda proferuntur. Sed olim a libro VII. alienum fuisse illum locum duabus ex rebus apparet. Ac primum quidem extrema eius verba, quae cum libro X. (886 A sqq.) comparata optime se habent, non quadrant in eum, quem nunc tenent, locum. Nam celeriter sententiam suam mutasset Plato, si 819 A mathematicam omnino non attigisse turpe non habuisset (*οὐδαμοῦ γὰρ δεινὸν οὐδὲ σφοδρὸν ἀπειρία τῶν πάντων οὐδὲ μέγιστον κακόν.*), paullo post vero de turpi quadam hominum inscitia mathematicae egisset (819 D: *περὶ ἅπαντα ταῦτα ἐνοῦσάν τινα φύσει γελοίαν τε καὶ αἰσχρὰν ἄγνοιαν ἐν τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι.* cf. 820 B). Deinde Plato sub libri VII. finem plura de

---

[1]) cf. Ritterum p. 216.

[2]) *εἰς ἄλλον . . . χρόνον ἀκριβέστερον ἂν νομοθετησαίμεθα.*

eruditione praecepta iam non prolatum iri expressis verbis dicit (824 B): *νῦν οὖν ἤδη πάντα χρὴ φάναι τέλος ἔχειν τά γε παιδείας πέρι νόμιμα.* Manifestum est Platonem tum, cum haec verba scripsit, in animo nondum habuisse posteriore loco plura de eruditione proferre praecepta. Itaque postea inserta sunt ea, quibus in libro VII. indicatur alterum eruditionis dimidium (sc. summorum magistratuum eruditionem) posteriore loco tractatum iri. Haec sententia eo quoque probatur, quod et post (819 A) et ante (817 E) illud additamentum simpliciter de ingenuorum eruditione agitur neque ullum invenitur vestigium duorum eruditionis generum. Obscuro[1]) autem illo loco (818 A—819 A) seposito verba *Τοσάδε τοίνυν ἑκάστων χρὴ φάναι μανθάνειν δεῖν τοὺς ἐλευθέρους κτλ.* (819 A) optime excipiunt ea, quae leguntur 817 E (usque ad verba *τρίτον δὲ τῆς τῶν ἄστρων περιόδου πρὸς ἄλληλα ὡς πέφυκε πορεύεσθαι*).

Intelleximus unumquemque eorum, quos modo tractavimus, locorum ita, ut nunc est, ferri non posse. Itaque statuimus Platonem illis locis sibi ipsum significasse, quid et quo modo in expoliendo opere mutandum esset.

---

[1]) cf. Ritterum p. 211.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Tabula argumenti.

Vita.

Natus sum Fridericus Doering in Lusatiae Superioris vico, cui nomen est Eibau, prid. Cal. Mai. anni 1883 patre Friderico Augusto, qui praematura morte mihi abreptus est, matre Alwina e gente Foerster. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum elementis imbutus per novem annos frequentavi gymnasium Zittaviense. Maturitatis testimonium vere anni 1902 adeptus per unum semestre Tubingae, per decem semestria Lipsiae studiis philologis operam navavi. Docuerunt me viri illustrissimi Fischer, Kornemann, Schmid, Schwabe, Sigwart, Spitta Tubingenses, de Bahder, Bethe, Eulenburg, Hofmann, Holz, Immisch, Iungmann, Kaerst, Koester, Lipsius, Martini, Marx, Richter, Sievers, Soerensen, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth, Witkowski, Wundt Lipsienses. Tubingae seminarii philologi exercitationibus interfui, quas instituerunt R. Herzog et Schwabe. Lipsiae proseminarium philologum moderante Immischio frequentavi per tria semestria, per alterum et tertium senior. Eximia Lipsii, Marxii, Wachsmuthii benignitate in seminarium philologum receptus sum, cuius per tria semestria fui sodalis ordinarius. Totidem semestria seminarium philosophorum frequentavi Heinzii auspiciis. Per bina semestria interfui exercitationibus historicis, quas instituerunt Kaerst, Soerensen, Wachsmuth. Ad germanicum seminarium et proseminarium benigne aditum mihi patefecerunt Koester et de Bahder, ad exercitationes philologas Martini, ad metricas Marx, ad archaeologas Studniczka, ad paedagogicas Iungmann.

Quibus praeceptoribus gratias quam maximas habeo omnibus. Praecipue vero Immischium semper studiorum meorum fautorem fuisse benevolentissimum nunquam non recordabor.

Carissimis denique sodalibus, quibuscum in philologorum thiaso Lipsiensi amicitia coniunctus sum, multa me debere laetus profiteor.